G. H. R. Wickert

Aenotheo Guilielmo Muellero

S. Theologiae Doctori

Coenobii Beatae Virginis apud Magdeburgenses
Praeposito et Directori

ordinis aquilae rubrae classis tertiae lemnisco ornatae Equiti

Viro eruditione atque usu Singulari deque rebus patriae scholasticis
Optime Merito

iuventutis instituendae munus per quinquaginta annos administratum
praeclarissime

pio animo gratulatur

commentarioli huius scriptor

G. H. R. Wichert.

De sententiis secundariis primariam excedentibus latinis.

Magdeburgi.
Typis E. Baenschii jun.
1865.

Bibliopolae, Vir Summe, quoniam hodie nihil fere emere volunt, nisi quod vix coctum puerulis statim possint venditare, pietatis erga Te meae non ita magnum mihi dare documentum licuit. Nam si non esset illud, in gratulandis his Tibi Tuis studii excellentissimi in iuventute ad humanitatem omnemque virtutem informanda per saeculum dimidiatum admirabili cum eventu collocati sollemnibus non programmate, quod dicunt, Tibi dedicando acquievissem, sed librum scripsissem ampliorem Tibique tradidissem, quo materia, quam nunc quidem attigi modo, quantum in me esset, exhausta videretur. Ut videas autem, Vir Summe, et qualem materiam intelligi velim et quid ea cohaereat cum iis, quae alio tempore edidi: sententia secundaria si cum primaria comparetur in eoque discedatur a contextu orationis, quo saepe earum locos commutari est consentaneum, apparet, prius si illa cogitetur, praemitti eam alteri, si minus, succedere oportere. Ita sententiarum, quas dixi, ordinem si spectamus naturae quidem congruentem, cum duplex earum ratio sit: ut protasim, quae dicitur, omittamus alio loco una cum apodosi iam perpensam, earum quidem secundariarum, quas primariae adnecti oporteat, diversissima esse genera videantur. Cum enim omnes ad illam accedere dici liceat aliquo modo supplendam, aliae tamen simpliciter ei illustrandae inserviunt, velut relativae, quae vulgo dicuntur, aliae coercendae, aliae amplificandae (simul ut —), aliis consecutio additur, aliis adiicitur id, quod in re commemorata praecipue animadvertendum sit (praesertim cum —), aliae sunt eiusmodi, ut a sententia primaria ad secundariam aut ascensionem quandam fieri oporteat (eo magis si —, etiam cum —) aut descensionem (dumtaxat usque eo ne —). Ex hac igitur sententiarum varietate, proficiscentium illarum quidem quasi ab uno et eodem capite, in diversissimas tamen partes diffluentium quodammodo, id genus, quod secundo loco commemoravimus, eximendum pauloque diligentius, quantum id commentarioli angustiae permitterent, excu-

tiendum censuimus. ***Sic, ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet.*** Quod quamquam multum abest ut Tua aut eruditione aut gravitate dignum videri possit opusculum, excusante id tamen rerum temporumque statu, quae Tua est iuniorum minusque peritorum indulgentia, benigne Te accepturum esse speramus. Vale, Vir Summe, et ita vale, ut, Deo consilia tua ut adhuc mirum in modum prosperavit, sic in posterum prosperante, meritorum Tuorum fructus capere pergas uberrimos.



De sententiis secundariis primariam coercentibus latinis.

Sententiae secundariae tribus modis primariam coercere possunt, aut ita ut, quae iis 1.
actio continetur, primariae sententiae actionem vel loci vel, quod saepius solet, temporis ratione terminet (*usque eo dum*) aut ut iis, qualis sit actio primaria, accuratius definiatur (*sic tamen ut*) aut denique ut exceptionem adiiciant, sive eam, qua a certa quadam rerum provincia actio illa exclusa, sive eam, quam si solam spectes, nulla esse videatur (*excepto eo quod* —, *non tamen sic ut* —). Eiusmodi sententias consentaneum est primariae adhaerescere, fit tamen etiam saepe ut aut interponantur aut antecedant.

Primum igitur genus duplex est, cum vel locum significet, quem ultra actio primaria progredi 2.
non possit (bis zu der Stelle wo), vel tempus, quo usque cum manserit, omittatur (so lange bis). A qua quidem temporis ratione diversissimam esse eam apparet, qua, quamdiu duret actio primaria, duobus quasi terminis constitutis, non solum eo, quo illa pertineat, sed etiam eo, unde proficiscatur, accuratius designatum videamus (so lange als). Haec ratio nihil valet ad rem propositam; non enim accedere eiusmodi sententiae temporales ad primariam dici possunt coercendam, imo adiiciantur ei an inserantur an vero praemittantur, nihil omnino refert. Quoniam tamen, ut vi et natura utique discrepant ab iis, in quibus prima pars disputationis versabitur, ita formis nonnunquam cum iisdem conveniunt, strictim certe, ubi occasio fuerit, earum similitudines attingi non alienum videbitur.

In altero genere neque loci neque temporis ratio est sed qualitatis, quae esse actionis prima- 3.
riae existimanda sit. Diligentius quidem si quaerimus, aeque et superius illud duplex invenitur, cum et aiens esse et negans possit. Utrumque enim dici licet, et illud, *esse quid, sed ita ut aliud quid sit*, et illud, *esse quid, sed ita ut aliud quid ne sit*. Quod discrimen causam esse quandam cur silentio praetereundum non sit, paulo infra demonstrabimus. (§. 5.)

Tertium denique genus eiusmodi esse vidimus, ut primaria actio aut generaliter valere negetur 4.
secundaria, specie quidem addita, ad quam illa minus pertineat, aut, certum quid si spectes, quod vel sit vel esse possit, negetur valere omnino. Ex altero illo genere exemplum hoc est: *laudo commentationem tuam, praeterquam quod stribligines admisisti*, ubi commentationis laus, si solam sententiam primariam intueri volueris, generalis habenda erit, additamento autem ita coercetur ut ab ea locos stribliginibus adspersos excludam. Ex altero hoc: *ad coenam ibo, non tamen si negotiis prohibebor*; ubi, postquam iturum me dixi, addo non iturum, negotiis id quidem prohibentibus, eoque, si hoc inciderit, actionem, quae exhibetur sententia primaria, nullam fore ostendo. Haec altera etsi minus recte exceptio, qua res commemorata coerceatur, quam rei totius sublatio dicenda sit, ne tamen comminuere potius quam dividere materiam videamur, exceptionis nomine acquiescamus, modo ne plane confundi patiamur ea, quae, si quaeris, diversa sunt.

Ceterum illud animadverti volo, facile dici utrumque licere, et hoc: *diligit amicum, non* 5.
tamen ita ut eius commoda suis anteponat, et hoc: *diligit amicum, ita tamen, ut eius commoda suis ne anteponat*. Quae duo cum tam sint similia, ut ad unum et idem genus redire videantur, diligenter tamen separanda sunt. Nam in altero illo exemplo exceptionem additam videmus, quam eandem, si ita malueris, rei commemoratae, ut dixi, sublationem appellare liceat, (idem enim et diligere amicum et certo quodam modo non diligere perhibetur), alterum ita apparet esse comparatum, ut nihil nisi, qualis sit actio primaria, accuratius definiatur. Quid enim aliud nisi finis quidam ponitur, quem ultra progredi illa caritas amici nolit?

6. Quoniam rationem, quae inter sententias, quas quaerimus, secundariam primariamque intercederet, triplicem esse posse intelleximus, iam de formis, quibus illae uti soleant in alio genere aliis, disputandum diligentius erit, si prius, quid earum omnium fere commune esse videatur, monuero. Non quaevis enim sententia, sententiae quae additur coercendae, ita additur, ut a simplici vel coniunctione vel pronomine relativo incipiat, imo trahere ad se quiddam solent ex enuntiatione antecedente idque secum tam arte coniungere, non iam ut primariae sententiae pars illa sed ut secundariae debeat existimari. Quam quidem partem ut paulo accuratius intueamur, vis eius aut demonstrativa esse solet aut adversativa aut utrumque. Tertium vero illud genus sententiarum si spectas cum reliquum tum eam eius speciem, qua quae enunciato primario essent posita, secundario tolli rursus quodammodo demonstravimus, partis illius, quam hoc suam esse velit, vis et natura non potest esse non negans.

7. Saepe igitur ad secundariam primariae sententiae adnectendam formulae adhibentur ex utriusque quidem illarum partibus conflatae, quae si quaeris quid ad explanandam sententiarum, in quibus versamur perquirendis, rationem conferant, dignoscenda videntur genera earum tria, a quibus profecti sumus. Nam in primo quidem genere, quo adiungi vidimus sententiam secundariam ad constituendum, primaria actio aut ubi aut quando finiretur, num quid tale, quale dixi, addatur insequenti enuntiato ex antecedente sumtum an non addatur, ad sententiarum superioris inferiorisque ordinis rationem in meliore luce collocandam nihil fere refert. An usque adeo donec similesque formulae aliud quid differunt a simplici donec particula, nisi quod maior huius exilitas, illarum latitudo quaedam agnoscenda sit? Quod contra et secundum genus et vero tertium ita sunt comparata, ut, nisi primariae sententiae pars illa, quam dixi, accederet ad secundariam cum eiusque parte prima ad formulam efficiendam se coniungeret, coercendi causa alteram alteri esse adiectam saepenumero vix cognosci posset. Quae cum ita sint, si quis accuratius iudicare voluerit, etsi eum non potest praeterire, formularum illarum quid tribuendum sit sententiae primariae idque ei etiam tributum atque interpositum invenitur locis permultis, in exquirenda tamen re ea, quam nobis proposuimus, quod illarum integritatem sententiae secundariae esse voluimus, iure ac merito fecisse videamur. Accedit illud, quod, quae in secundo et tertio genere formulae adhibentur, magnam partem sunt eiusmodi, ut, quod ex iis proprium habendum sit sententiae primariae, non ad eam tamen ipsam, quae antecedit, sed ad eius iterationem vel plenam vel ex parte animo et cogitatione instituendam referri debeat. Formulas enim, quales sunt: sed in eam partem ut —, sed tali modo ne —, non tamen sic ut —, etiamsi putida quadam diligentia divellere volueris ex iisque suum utrique enuntiato tribuere, non poteris tamen, nisi sententiam, ut dixi, ex sententia audieris.[1])

Caput I.

Actio secundaria vel loci vel temporis ratione primariam terminat.

A. Terminatio formulis efficitur ipsius sententiae primariae ope constitutis.

1. In formulis usque particula adhibetur.

a. usque cum parte demonstrativa coniunctioni praemittitur.

8. 1. Plenissima omnium, quae huc referendae sint, formula Ciceronis est illa: usque ad eum finem dum, cuius exemplis duobus ab aliis iam allatis nullum habeo, quod addam.

---

[1]) Eiusmodi iterationes saepe etiam fieri revera, satis notum est. Cic. p. Rosc. Amer. 20, 55: *Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia, verum hoc ita est utile ut ne plane illudamur ab accusatoribus.* ad Fam. VIII. 12, 1 (Cael. ad Cicer.): *occultum bellum mihi indixit, ita occultum tamen ut multi mihi renuntiarent;* ubi brevius scribi licuit: verum ita ut ne et ita tamen ut. cf. p. Ligar. 1, 2. Divin. in Caecil. 8, 25. Lactant. II. 8, 56.

Cic. Verr. I. 6, 16: *Ea mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem dum iudices reiecti sunt.* id. N. D. II. 51, 129: *Quid dicam quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem dum possint se ipsa defendere?* quo utroque loco verba usque ad eum finem Grutero sine causa fuerunt auspecta.

Donec, quoad, quamdiu coniunctionibus illa praemissa non inveniuntur. Legitur tamen apud Nepotem Epam. 2, 5: *Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem quoad stans complecti posset atque contendere;* nisi quod hoc loco formula, ut monere mittam minus eam esse integram, non modo temporis rationi sed etiam consilio inservit significando. cf. Cic. Orat. I. 34, 154: *oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere;* de quo loco Bremii quidem opinione ita corrigendo ut scribatur: *quo memoria* — vide, si placet, quae disputavimus in Programmate Gubenensi 1861 p. 32.

2. Saepius inveniuntur formulae, quae sunt usque adeo dum, usque adeo donec, 9.
usque adeo donicum, non tamen nisi apud Catonem aut comicos. Quae cum omnes temporis rationem habeant, loci habet ea, quae apud eundem illum, sed semel reperitur, usque adeo quo. Minus huc pertinent usque adeo — quoad inter se respondentia illa quidem et apud Ciceronem p. Sestio 38, 82 et apud Suetonium Gramm. 22, non ita tamen copulata ut formula exsistat. Quod idem cadit in Plautina illa, in quibus sententiae primariae particularum ordinem inversum vides, adeo usque — dum Amph. I. 2, 8, nisi quod cum exsecratione quadam vel adeo usque dum coagmentantur Asinar. II. 2, 60. Postremo commemorandum est, adeone usque, quod sciam, nullo loco inveniri non modo copulata cum sententiae secundariae coniunctione, sed ne separatim quidem posita; usque adeone autem et raro usurpari et sensu alio nec ita ut ad secundariam sententiam traducantur. Non enim invenitur haec formula nisi aut insequente ut particula, Claudian. I. 166, Arnob. VI. p. 210 Lugd. ut non temporis rationi inserviat sed ad intendendam praedicati, quod dicitur, vim adhibeatur, aut eodem fere usu in interrogatione simplici, Virgil. Aen. XII. 646. (Sueton. Nero 47) Claudian, VIII. 362.

Cato R. R. 95: *postea igni leni coquito, rudicula agitato crebro usque adeo dum fiat tam crassum quam mel.*

usque adeo — dum Gracch. ap. Gell. 10, 3.

cf. Terent. Eunuch. IV. 6, 3 (so lange als).

Cato R. R. 86: *Ubi coctum erit, lacte addat paulatim usque adeo donec cremor crassus erit factus.* ibd. 88. *Id aliquoties in die quotidie facito usque adeo donec sal desiverit tabescere biduum.* Quos locos inter sese simillimos in editione a Schneidero curata si inspexeris, non poteris non mirari viri illius docti inconstantiam comma primum ante donec particulam, deinde ante totam formulam ponentis. Melius erat utroque loco omittere, cum eiusmodi sententiae quodammodo in unum confluant, ut ubi desinat altera, altera incipiat dubium sit. Plaut. Cistell. II. 3, 40: *Instare usque adeo donec se adiurat anus iam mihi monstrare.* Terent. Andr. IV. 1, 36: *nunquam destitit instare — suadere, orare usque adeo donec perpulit.*

usque adeo — donec Cato R. R. 88. Terent. Phorm. IV. 1, 23.

Plaut. Trucul. I. 1, 17: *Tum huc, tum illuc irretitos impedit pisces usque adeo donicum eduxit foras.*

Cato R. R. 40: *Postea capito tibi surculum, quod genus inserere voles, eum primorem praeacuito obliquum primores digitos duos. — Librum ad librum versum facito, artito* (h. e. inserito) *usque adeo quo praeacueris* (h. e. usque ad eum locum, quo —).

Plaut. Asinar. II. 2, 60: *Placide ergo unumquidque erogita, ut acquiescam. Non vides, me ex cursura anhelitum etiam ducere? — Age, age, mansero tuo arbitratu vel adeo usque dum peris.*

Quominus usque adeone (et vero etiam adeone usque, quam formulam frustra circumspicimus) cum temporis notione ad inducendam sententiam secundariam adhibeatur, ab usu si discedis,

nihil est profecto, quod prohibeat. Quidni enim dicatur: *Quamdiu exspectem? usque adeone dum (adeone usque dum) redieris?* Solent autem eiusmodi interrogationes aliter institui. cf. §. 10 (eone usque dum) et §. 20 (an dum).

10. 3. Simillima est ratio formularum usque eo dum et usque eo quoad, quae non modo ceteris scriptoribus sed etiam Ciceroni in usu sunt, deinde earum, quae commutatis particularum primae et secundae sedibus sunt formatae, quibus quidem abstinet ille, eo usque dum, eo usque donec, eo usque quamdiu. Apud Livium XXIII. 19, 4 legitur eone usque dum, inverso tamen propter affectum, qui in interrogatione inest, ordine sententiarum. Praeterea haec videntur esse addenda: primum plerasque ex formulis, quas attuli, saepius quidem temporis, nonnunquam tamen etiam loci rationi inservire, deinde in iis non raro codices fluctuare solere, modo omittentes eo particulam, modo pro ea adeo substituentes (cf. Burmann. ad Sueton. Tiber. 14), tum formulas huc usque, illo usque, isto usque, quarum prima illa saepe et multum usurpatur a recentioris temporis scriptoribus nonnullis, hae duae paucis locis a Plinio utroque admissae sunt (Tursell. III. 108. 215. 456) nusquam aut copulatas inveniri cum coniunctione aliqua temporali aut in sententia primaria ita collocari solere ut iis eiusmodi coniunctio secundariam inducens respondeat.

Cic. Acad. II. 7, 19: *Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes et omnia removentur, quae obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus et situs earum rerum, quas intuemur et intervalla aut contrahimus aut diducimus multaque facimus usque eo dum aspectus ipse fidem faciat sui iudicii.* Columell. R. R. 12, 22: *Apertum labrum sinito in sole per Caniculae ortum et spatha lignea permisceto quam saepissime usque eo dum ea, quae addideris, in pice colliquescant et unitas fiat.* — Loci rationem habes eadem formula exhibitam Colum. R. R. 5, 11: *oblinito totam plagam et spatium, quod est inter surculos, usque eo dum minime quatuor digitis insita exstent.*

cf. *usque eo — dum* Tursell. II. 322.
usque eo — donec id. 294.

Cic. Verr. III. 33, 77: *Herbitenses cum viderent, si ad Aeschrionem pretium recidisset, se ad arbitrium libidinosissimae mulieris spoliatum iri: liciti sunt usque eo quoad se efficere posse arbitrabantur. Supra adiecit Aeschrio;* ubi tamen non solum temporis notio inest in formula sed ea etiam modus quidam licitantium facultatis significatur.

cf. *usque eo — quoad* Cic. p. Deiotar. 4, 11. Columell. VI. 31 f. Nep. Epam. 9, 3. Sueton. Tiber. 14. Quibus exemplis alia facile multa addi possunt; acquiescam tamen hoc uno: Cic. p. Cluent. 40, 111: *usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosecuta est.* Ubi quod honoris gradus intelligendi sunt, in particulis inter se respondentibus loci cuiusdam, non temporis rationem Ciceronis animo obversatam esse apparet.

Inverso ordine: Columell. R. R. 12, 20: *iubebis rutabulo ligneo agitari, quod decoxeris, eo usque dum defrigescit.* id. 6, 6. Deinde id. 4, 30: *Perticae cacuminum modicae plenitudinis — optime panguntur eo usque dum ad solidum demittantur*; ubi locus significatur.

cf. *eo usque — dum* Tac. Ann. 4, 18 (so lange als).

Apud Livium XXIII. 19, 14: *ut Hannibal: Eone usque dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum? exclamaret,* — si Poenus paulo sedatiore animo loquens induceretur, sententiarum ordo ad exempla supra a me allata accommodate esset institutus aut sic: *Eone usque ad Casilinum sessurus sum, dum ea nascantur?* aut sic, ut propius ad usum, de quo disputamus, accederet oratio: *Quamdiu ad C. sessurus sum? eone usque dum ea nascantur?*

Gaii Inst. II. 213: *sed manet* (legata res) *heredis eo usque donec is heres tradendo — legatarii eam fecerit.* cf. id. III. 151: *Manet autem societas eo usque donec in eodem sensu perseverant* (so lange als).

cf. *eo usque — donec* (so lange bis) Turs. II. 294. 420, (so lange als) Cod. Iustinian. II. tit. 1, 12. 13. 14. 15. al.

Loci ratio habetur Lamprid. Alex. Sever. 45: *Tacebantur secreta bellorum, itinerum autem dies publice proponebantur — deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, deinde ubi annona esset accipienda et id quidem eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur.*

cf. *eo usque — quamdiu* Oros. 6, 1 ubi temporis rationem habes.

4. In Catonis praecepto quodam adhibetur usque admodum dum temporis ratione 12.
habita additoque numerali, ut idem valeat quod usque dum, quod summum erit (höchstens bis). cf. Tursell. I. 176.

Cato R. R. 156: *Postea ubi occipiet fervere, paulisper demittito usque admodum dum quinquies quinque numeres.* Ubi quomodo admodum sit intelligendum, videre licet ex adverbio paulisper, quod antecedit. Ceterum alia est etiam lectio: admodum dum, reiecta tamen ab editoribus.

b. sola usque particula cum coniunctione societatem coit.

Usurpatur quidem et a Cicerone et a Livio formula, quae est usque dum, sed ita ut fere ubique vertenda sit: so lange als. Quod contra eandem hanc formulam et ad locum, quo progrediatur actio primaria, et vero ad tempus, quo extendatur, designandum in deliciis habent scriptores recentiores. Deinde usque donec Comicorum est et Catonis, usque quo cum aliorum deterioris notae scriptorum in iisque rusticorum tum Plinii maioris. Num vero etiam usque qua pro eiusmodi formula haberi possint, quoniam deficiunt me loci, quorum illa quidem lectio constet, in dubio relinquimus. Tum inverso partium ordine quo usque cum sint apud optimum quemque scriptorem interrogantis, relativae etiam formulae instar iis usum esse Eutropium video. Quoad usque apud Livium VI. 38, 13 etiamsi lectio suspecta non esset, tamen ab usu eo, quem exquirimus, abhorreret. Nec de pauculis illius formulae exemplis, quae apud deteriores scriptores inveniuntur huc pertinentia, satis exploratum videtur. Vulgari particularum ordine quae formula exsistit usque quoad, invenitur illa quidem apud Varronem R. R. II. 7, 12 sed alieno a re nostra sensu eo, quem supra patrii sermonis auxilio extuli. Disiunctas tamen particulas in Ciceronis Bruto 22, 87 habes temporis rationem, quae huc pertineat, significantes. Restat ut addam, quod mirabile videri debet, apud Daretis Phrygii interpretem, dummodo certa sit lectio, usque particulam nudam sensu plane eodem legi quo usque dum reliquaque, quae attulimus.

Handius II. 316 usque dum formulae unum affert exemplum Cic. Verr. II. I. 5, 12 idque a re nobis proposita alienum. Aequale enim ibi actionum primariae et secundariae temporis spatium, per quod duraverint, designatur. Ex quo genere permulta facile alia afferre liceat, ut Liv. XXXIII. 18, 17. Cato R. R. 30. Solin. 1, 119 Momms. Apul. de Magia p. 321 Alteb. Quae quoniam in ordinem incurrerunt, illa etiam adiiciamus duo: Terent. Heaut. I. 1, 84: *nam usque dum ille vitam illam colet inopem, interea usque illi de me supplicium dabo;* ubi eandem temporis rationem verbosius elatam vides, et Plaut. Menaechm. V. 1, 27: *mea quidem hercle causa vidua vivito vel usque dum regnum obtinebit Iupiter;* ubi exsecratio quaedam est addita. Sed ne diligentius versari videamur in exemplis alienis, ad ea transeamus, quae huc pertineant.

Loci igitur finem, ad quem usque porrecta intelligantur ea, quae sententia primaria continentur, vides apud Solinum 14, 1: *Hypanis purus et haustu saluberrimus usque dum Callipidum terminis inferatur.* Ammian. XXXI. 2, 15: *Ideoque plaga omnis Orienti aestivo obiecta usque dum venitur ad Seras inhabitabilis mansit* (der nach Osten bis zu den Seren sich hinstreckende Landstrich).

Temporis ratio, quam intelligi volumus, agnoscenda videtur esse apud Ciceronem ad Attic. XV. 23: *Quousque? inquies. Quoad erit integrum: erit autem usque dum ad navem* ubi tamen etiam usque ad navem scribitur. Recentiorum scriptorum exempla nihil habent dubitationis.

Phaedr. App. II. 33, 10: *Te poenitebit sceleris usque dum mea cicatrix clausa fuerit.* Solin. 32, 31: *plagam deinde coeno oblinit usque dum vulnus obducatur in cicatricem.* id. 10, 15: *concors cura omnium pro fatigatis adeo ut — lassatas sustollant usque dum vires otio recuperentur.* id. 33, 8: *hanc arborem — alii lentisco, alii mage terebintho comparabant, usque dum libris, quos Juba rex scripsit ad Caesarem —, palam fieret intorta eam esse vimine.* Apul. Met. II. p. 32 Alteb.: *Veneris fructu me satiavit usque dum lassis animis — corruimus.* Dares p. 170 Amstel.: *Dares Phrygius, qui hanc historiam scripsit, ait se militasse usque dum Troja capta est.* id. p. 193: *Priamus — quiescere usque dum Pentesilea cum Amazonibus superveniret;* ibd.: *Interim Pentesilea prodit usque dum advenit Menelaus cum Neoptolemo.*

cf. *usque — dum* Cic. Fam. XII. 19, 3. Ovid. Heroid. 1, 45. Alia ratio est loci Horatiani III. 30, 8 (so lange als).

Cato. R. R. 156: *ubi macerata erit* (brassica), *conicito in aquam calidam, coquito usque donec ea commudebit bene* Plaut. Mil. II. 2, 113: *ibi odorans quasi canis venaticus usque donec persecutus volpem ero vestigiis.* Terent. Adelph. VI. 6, 5: *nunc vero domum certum obsidere est usque donec redierit.*

cf. *usque — donec* Turs. II. 294.

Formulae, quae est usque quo, et ad locum et ad tempus pertinentis usum nonnullis iam exemplis comprobatum habes in Forcell. aliisque lexicis. Ex illo genere sunt Plin. H. N. VI. 4, 4: *Nunc habet Surium tantum* (oppidum) *et ipsum ab amne influente ibi cognominatum usque quo magnarum navium capacem esse diximus.* id. XVII. 23, 35 n. 25.

cf. *usque quo — eatenus* Oros. 7, 21.

Ex hoc altero: Pallad. R. R. IV. 1, 1: *Martio mense locis frigidis putatio vinearum celebratur — usque quo incipit gemma esse suspecta.* Varr. R. R. I. 2, 26: *iubet ranam luridam conicere in aquam usque qua ad tertiam partem decoxeris.*

Apud Varronem l. c. alia est lectio usque qua, quae num formula esset, supra iam nos praeterire confessi sumus. Disiunctae inveniuntur particulae apud Horat. Epist. II. 2, 170 cf. Schmid.

Peculiare est exemplum Eutropii 3, 21: *quadraginta et quinque diebus induciae datae sunt, quousque Romam ire et redire possent;* quo loco si haec legerentur: *induciae datae sunt, quousque regrederentur,* dubium non esset, quousque formula induciarum temporis spatium definiri; non enim prius illae omitterentur quam legati redissent. Nunc vero praefinita est iis certa dies redeundi, quam ante nisi revertissent, tamen inducias non iam fore diutius Romanis constaret. Liquet igitur, temporis spatium, quo illorum itio reditioque inclusae sint, potius quam id tempus, quo, quae sententia primaria habet, terminentur, intelligi.

Sueton. Caes. 14: *Ac ne sic quidem impedire rem destitit quoad usque manus equitum Romanorum, quae armata praesidii causa circumstabat, immoderatius perseveranti necem comminata est* (al. l. *quoad manus*). cf. Burm. — Lactant. IV. 12, 17: *Dixit dominus domino meo, sede a dexteris meis, quoad usque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.* cf. Buenem.

Dares d. excid. Troj. p. 194 Amst.: *suadere exercitu irruptionem in castra facere, usque vincant aut victi pro patria occumbant.*

2. In formulis sententiae primariae sola pars demonstrativa invenitur cum coniunctione secundariae copulata.

3. Hic usus et rarior est multo et quae eius laudari exempla possint, magnam partem iam a lexicographis et Handio allata sunt. cf. Turs. I. 139. II. 316. 322. 340. 341. 421. III. 11. 202. Ne quid desit tamen, quod pertineat ad quaestionem, formulas huius generis deinceps enumeremus, praesertim a viris doctis lacerati corporis membrorum instar mirum in modum disiectas.

1. Ac primum quidem commemorandae videntur esse Plautinae duae, quae sunt adeo dum et adeo donicum, quarum alterius illius inversione quadam particulae demonstrativae facta exstitit eo addum, quae est Apuleii.

Plaut. Mercat. I. 1, 74: *agrum se vendidisse atque ea pecunia navim parasse atque eapse merces vectatum undique adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.* ibd. III. 4, 71: *quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?*

id. Pseudol. IV. 7, 73: *Exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium adeo donicum ipsus sese ludos fieri senserit.*

Apul. de Magia p. 311 Alteb.: *Quam conditionem cum obstinate propositam videret mulier sapiens et egregie pia: ne quid filiis suis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales cum quo iubebatur, cum Sicinio Claro, verum enim vero vanis frustrationibus nuptias eludit eo addum puerorum avus fato concessit, relictis filiis eius heredibus.*

2. Deinde satis trita quidem formula est Ciceroniana tam diu dum, si quaeris tamen 14.
diligentius, ita eius usus reperitur coartatus, ut fere ubique temporis spatii longitudinem significet, per quod actio primaria extendatur (so lange als). Quae eadem ratio est formularum tam diu quam Cic. Brut. 1, 4 et tam diu, quamdiu Cic. Pison. 28, 68. Verr. II. I. 9, 25. Colum. 12, 21. nisi quod earum usus, qui huc pertineat, omnino nullus videtur esse. Tamdiu — quoad num unquam in unum coaluerint, quaestio est. Separatim quidem posita saepius inveniuntur Cic. Off. I. 1, 2. Nep. Att. 11, 5 al., sed Solino, quod sciam, unico excepto, non nisi sensu a re nostra alieno illo, quem dixi. Orosius quasi cumulo quodam addito ad coniunctionem, inter se respondere voluit haec: tamdiu — quoadusque, quem usum iam in superiore disputatione attingi oportuisse aliis facile videri possit. Ceterum locus, quo is comprobatur (semel enim illa leguntur) talis est, non ut spatium temporis, sed terminus significetur. Postremo de particularum tam diu donec usu et consuetudine quidquid et Handius dictitat et lexicographi, nec iunctarum earum exempla habeo nec ita, ut alias vidimus, separatarum. Quod nescio an indiligentia mea acciderit.

Formulae tam diu dum in Tursell. II. 316 nonnulla exempla afferuntur ex Cicerone sumpta, quae tamen omnia ab hoc loco excludenda sunt. Mihi quidem unum notum est huc referendum p. Flacco 17, 41: *Flacco vero quid profuit, qui valuit tam diu dum huc prodiret, mortuus est, aculeo tam emisso ac dicto testimonio?*

Quod tamdiu, quamdiu non usurpantur nisi ad spatium temporis designandum, melioris notae scriptores si spectas, facile consentaneum videri potest. Ab altero enim illo usu, quem quaerimus, particulae, quae est quamdiu, vim et naturam plane abhorrere iure ac merito dixeris. Recentiores tamen scriptores quod his se finibus incluserunt, satis mirari non queo. Iidem enim quamdiu particulae nonnumquam esse alteram illam notionem voluerunt et nudae, ut Ammianus (cf. §. 17), et eo usque formulae vel intervallo quodam respondentis vel etiam adiunctae, ut Orosius et Lampridius. (cf. §. 10.)

Solin. 1, 80 Momms.: *regem Antiochum Artemon quidam e plebe Syriatica sic facie aemula mentiebatur, ut postmodum Laodice uxor regia, obiecto populare isto, tamdiu dissimulaverit defunctum maritum, quoad ex arbitratu eius regni successor ordinaretur.*

Oros. 3, 16: *tamdiu certamen anceps fuit, quoadusque fugeret Darius.*

3. Tum formulae, quae sunt tantisper dum et tantisper quoad solivagae modo 15.
occurrunt. In tantum — donec similiaque num etiam formularum instar coagmententur, nescio. Laxiora quidem necessitudinis vincula esse inter demonstrativam illam partem et coniunctionem Columella voluit et ita ut loci quaedam terminatio significaretur.

Cic. Invent. II. 50, 149: *deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur.*

cf. *tantisper — dum* (so lange als) Terent. Heaut. I. 1, 51 et 95.

Gell. VI. 4, 1: *legimus Regulum id quoque addidisse, venenum sibi Carthaginienses dedisse non praesentarium sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret, eo consilio ut viveret quidem tantisper quoad fieret permutatio, post autem contabesceret.*

Columell. III. 13, 9: *perpetuam fossam educere et post tergum motam humum componere atque in tantum deprimere, donec altitudinis mensuram datam ceperit.*

16. 4. Plane eodem sensu eatenus qua et illatenus qua inveniuntur conclusa apud Columellam et Apuleium similiterque ad temporis rationem, quam intelligi volumus, significandam tertium particularum par, quae sunt hactenus ut, non grata quidem compede vinctum tenet Ovidius. Quod contra eatenus — donec, quae ad eandem temporis rationem Orosius adhibuit, cum ea melius quam superiora illa inter se convenire appareat, non tamen artiore colligatione comprehenduntur.

Ovid. Heroid. 15, 153: *Sola virum non ulta pie maestissima mater concinit Ismarium Daulias ales Ityn, ales Ityn, Sappho desertos cantat amores hactenus ut media cetera nocte silent.* cf. id. Fast. 5, 661, ubi sententiarum ordo inversus perversam effecit nonnullorum interpretationem. Handius III. 11 utriusque loci vidit quae ratio esset.

Qui tamen idem III. 202, si modo cognitum habeo, quid senserit, quod illatenus particulae unum extare Gellii 16, 19 exemplum (de quo infra videbimus §. 33), non plura arbitratur, errat. cf. Fronto de feriis Alsiens. 6. Usus is, de quo supra disserui, probatur loco Apuleii de Magia p. 322 Alteb.: *Ipsas mulieris literas illatenus qua dixi legendas praebebat: cetera supra et infra scripta occultabat.*

Columell. de Arbor. 8, 2: *Vitem deinde, quam insiturus es, resecato et plagam levato atque ita findito et paratos surculos in fissuram demittito eatenus qua adrasi sunt, ita ut cortex surculi corticem vitis aequaliter contingat.* id. 12, 9: *caules lactucae ab imo depurgatos eatenus qua tenera folia videbuntur.*

cf. *eatenus — qua* Tursell. II. 340.

Particularum eatenus — donec inter se respondentium in Tursell. II. 341 unum exemplum affertur Orosii 6, 1, quod huc pertinet illud quidem, habet tamen quiddam implicatum et tortuosum; quare ego alterum afferam scriptoris eiusdem (non plus enim duo habet) multo simplicius et planius: 3, 19: *In eo proelio sagitta sub mamma traiectus, fixo genu eatenus pugnavit, donec eum, a quo vulneratus esset, occideret.*

B. Terminatio nuda efficitur sententia secundaria.

17. De coniunctionibus, quae sunt dum, donec, donicum ita usurpatis, ut, usque ad quod tempus extendi intelligenda sit actio primaria, non extrinsecus adiuncto sibi auxilio, sed quasi sua quaeque vi confisae definiant, satis superque ab Handio disputatum est. Mittendae igitur illae sunt eaeque solae afferendae, quae restant generis eiusdem. Habeo autem quatuor, primum quoad, quae cum aliis iisque bonae notae scriptoribus tum Apuleio in usu est idque differt a reliquis, quod non tempori modo sed loco etiam terminando inservit, deinde quamdiu, quae nescio an solius sit Ammiani. Addendae videntur esse antequam et priusquam, si modo existimandae sunt coniunctiones. Quas quidem apparet duobus modis usurpari posse, ut aut intervallum aliquod temporis intercedere intelligendum sit inter ea, quae sententia primaria interque ea, quae secundaria exhibeantur, aut res illae duae confines sint. Cum enim dicitur, *in urbe aliquid factum esse, antequam Caesar Galliam subigeret,* facile illud etiam multo ante Galliam subactam accidisse potest. Hoc si est igitur aut, id quod fere

idem valet, si monstrare temporis intervallum sive longum sive breve sive nullum omnino scribentis nihil interest, coniunctionum illarum usum nemo non videt longe abesse a re nostra. Quod contra si confines actiones sunt idque plane etiam significari refert, interior quaedam inter eas ratio agnoscitur, qua, cum incidat altera, alteram finitam esse oporteat. Exemplum hoc est: *semper ei amicus fui, antequam reipublicae factus est inimicus.* Ubi etiam scribi licuisse: *donec reipublicae* — certum est. Neque hanc particularum illarum cognationem a veterum sensu fuisse alienam facile videre licet ex loco Ciceroniano, quo interpretes offenderunt, p. Rosc. Amer. 22, 60: *usque eo animadverti, iudices, eum iocari atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi: quem simul atque attigi, statim homo se erexit* (h. e. usque eo — donec). Nobis quidem cognatio illa ita maxime apparet, si sententia primaria negans invenitur. Quod si est, vertere solemus: nicht früher als bis —.

Ad locum pertinet *quoad* Liv. XXII. 6, 6: *Pars magna — per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt.*

Ex altero genere eiusdem auctoris exempla sunt, a Drakenb. ad XXIII. 26, 2 allata. Adde Caes. b. Gall. 5, 17. Sallust. Iug. 41, 9. Sueton. Vespas. 4. Varro R. R. 2, 2. Deinde Apuleii Met. I. p. 9 Alteb.: *cunctos in suis sibi domibus tanta cantionum violentia clausit ut toto biduo non claustra perfringi — quiverint, quoad — clamitarent, sese neque ei manus admolituros et —;* V. p. 88: *deflebant oculos et plangebant ubera, quoad crebris earum eiulatibus saxa cautesque parilem sonum resultarent;* VII. p. 134: *recens nupta gratias summas apud suos parentes ac maritum mihi meminisse non destitit, quoad summos illi promitterent honores habituri mihi.* Modorum ratio, si quaerimus, ea est, ut indicativo particulae adiecto nihil nisi tempus, quo actio primaria finiatur, coniunctivo autem consilium etiam agentis spectandum sit; quod tamen discrimen non ubique observatur, coniunctivo quidem in alterius quoque modi provinciam ingruente. Quod, ut alia mittam, videre licet ex primis duobus Apuleii exemplis. Sunt tamen etiam satis multa, in quibus coniunctivi natura magis eluceat, ut Apul. Met. I. p. 12: *varicus super faciem meam residentes vesicam exonerant, quoad me urinae spurcissimae madore perluerent.*

Ammian. XXII. 15, 23: *carnes saucias coeno oblinit, quamdiu in cicatrices conveniant plagae.* id. XXV. 3, 12: *concursus itaque armatorum et cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri procul audiebatur, quamdiu satietate vulnerum partibus fessis nox diremit certamina iam tenebrosa.* id. XXVI. 10, 14: *nec modus ullus exitialibus malis impositus, quamdiu principem et proximos opum satietas cepit et caedis.*

Cic. Philipp. XII. 9, 23: *cui fui semper amicus, antequam ille reipublicae bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus.* id. Orat. III. 36, 145: *profecto nunquam conquiescam neque defatigabor, antequam illorum ancipites vias rationesque — percepero.* id. p. Flacco 21, 51: *Itaque etsi teneo, quid sit dicere paratus, nihil tamen contra disputabo, priusquam dixerit* (h. e. usque eo tacebo, donec dixerit). In quibus ultimis duobus similibusque exemplis per me licet rectius esse, ut est, existimetur, si coniunctionum partes interpunctione disiungantur (Tursell. I. 395, 3.), res tamen plane est eadem.[2]

[2]) Oblata hac occasione moneo, quod ab Handio video esse praetermissum, negans quidem si sententia primaria partesque coniunctionum, quas dixi, discretae sint, posteriori parti a Livio etiam ut particulam addi XXVI. 26, 7: *non passurum quidquam prius agi quam ut Siculi in senatum introducantur* (nicht früher als bis), XXXVII. 37, 8: *ne ante in aciem descendat quam ut in castra me redisse audierit.* Esse quidem haec exempla eiusmodi ut, quod consilium insit in sententia primaria, id valeat quid ad secundariae constructionem, facile est intellectu. Similis ratio agnoscenda sit, sicubi scriptum inveniatur, quod tamen dubito: *non prius abiit quam ut expelleretur.* In quo nimirum ille exspectasse censendus sit dum expelleretur idque ipse quodammodo effecisse.

C. Corollarium additur annotationum huc pertinentium.

18. 1. Actio primaria si diutius extendi videtur, ut, dum finiatur ea, acrius attentiusque exspectari censendum sit, particulas, quae sunt donec, quamdiu, quoad similesve, convertere solemus: bis endlich. Liv. XXXIX. 33, 12: ***Magnis contentionibus tribunorum quoque plebei, qui aut contra consulem aut pro studio eius pugnabant, comitia aliquoties turbata, donec pervicit Appius, ut, deiecto Fabio, fratrem traheret.*** id. XXXIX. 39, 13. XL. 41, 5. Tac. Ann. III. 20 f. Ex quo genere multa eorum exempla sunt, quae modo attulimus ad particularum, quae sunt quoad et quamdiu, usum illustrandum. Ut magis etiam appareat, quo animum intendi velim, confer Liv. XXIII. 26, 2: ***Hasdrubal procul ab hoste — tenebat se, quoad multum ac diu obtestanti quatuor millia peditum et quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum refecta tandem spe castra propius hostem movit.*** Ad hanc igitur quasi quandam pleniorem illarum notionem significandam, a Livii quidem uno loco si disceditur, meliores scriptores nihil omnino coniunctionibus solent adiicere. Apud recentiores tamen, qui putidam potius quam obscuram malebant esse orationem, eodem sensu formulae inveniuntur: donec tandem, nisi quod haec aliis verbis interiiciendis disiungi solent, deinde quoad tandem et cum tandem. Nec vero denique particulam ab eiusmodi societatibus abhorrere omnino, cognoscere licet ex Apul. de Magia p. 315 Alteb.: ***nimis multa oratio est, si velim memorare, quot et qualibus precibus me agressus haud prius omiserit quam denique impetrarit.***

Handius quod usum hunc omisit, non casu factum puto sed quod illum censuit esse nullum. Quod nisi esset, non inepto quodam fastidio reprehendisset clarissimum Virgilii interpretem Philippum Wagnerum, qui cum Georg. 3, 556: ***Iamque catervatim dat stragem atque aggerat ipsis in stabulis turpi dilapsa cadavera tabo: donec humo tegere ac foveis abscondere discunt*** ita accipienda esse contenderit, quasi legatur ***Iamque — cum tandem,*** quaerit iste II. 295 (cui tamen non deerant imitatores, servum pecus), quis unquam latine dixerit cum tandem? Sciebat ille profecto, quae eius doctrina est, Lactantium, alterum Ciceronem, ita scripsisse de mortib. persecut. 33, 11: ***Et haec facta sunt per annum perpetem, cum tandem, malis domitus, deum coactus est confiteri.*** Ceterum iuvat adiicere, si idem ille voluisset, facile cum Virgilii particulis Iamque — donec inter se respondentibus comparare eum potuisse Apuleii Met. V. p. 88: ***Iamque nomine proprio sororem miseram ciebant, quoad — amens et trepida Psyche procurrit e domo.***

Liv. IV. 46, 2: ***coepta inter eos in urbe certamina cupiditate eadem imperii multo impensius in castris accendi: nihil sentire idem, pro sententia pugnare, sua consilia velle, sua imperia sola rata esse, contemnere invicem et contemni, donec, castigantibus legatis, tandem ita comparatum est, ut alternis diebus summam imperii haberent.*** Lactant. VII. 19, 6: ***bellum saepe renovabit et saepe vincetur, donec, quarto proelio confectis omnibus impiis debellatus et captus, tandem scelerum suorum luat poenas.*** Stat. Silv. I. 2, 203: ***Nitidae sic transfuga Pisae amnis, in externos longe flammatus amores, flumina demerso trahit intemerato canali, donec Sicanios tandem prolatus anhelo ore bibat fontes.***

Apul. Met. II. p. 42: ***Nec cunctatus medios latrones invado ac singulis, ut quemque colluctantem offenderam, altissime demergo, quoad tandem ante ipsa vestigia mea vastis et crebris perforati vulneribus spiritum efflaverint.*** id. III. p. 50: ***Et abiectus in lectulo meo, quae gesta fuerant singula moestus recordabar, quoad tandem Fotis mea — advenit.*** id. IV. p. 63: ***Namque ille alius asinus, statim ementita lassitudine cum rebus totis offunditur tacensque in mortuum non fustibus, non stimulis — tentavit exsurgere, quoad tandem postumae spei fatigati — districto gladio poplites eius totos amputant.***

19. 2. Sunt etiam sententiarum genera secundariarum ita primarias coercentium ut simul alia aliqua ratio inter utrasque intercedens agnosci debeat. In quo tamen illud, quod iam in

exordio exposuimus quodque ad omnia fere pertinet secundi ordinis enunciata non propter universum orationis contextum quendam sed propter suam ipsorum vim et naturam primariis adhaerentia, tenendum est, nonnunquam coniunctioni illa inducenti superioris ordinis sententiae partem proxime antecedere cum eaque ita sensu connecti ut certae quaedam formulae exsistant, quas nisi perverse quidem divellere volueris, integras tribuere sententiis secundariis debeas. Duplex igitur illa ratio, quam dixi, ea est, primum ut simul et coerceatur sententia primaria et cum ironia quadam explicetur, deinde ut cum vi illa coercente comparatio quaedam coniuncta sit, tum ut, quae addantur coercendi causa, eadem primariae actioni opponantur, denique ut eam ita coerceri videamus, simul ut a re maiore ad minorem quasi quaedam fiat descensio. Ceterum commemorandum est, in omnibus his generibus temporis haberi rationem, quod definiatur, non loci.

a) Si quis quem cum admiratione indignationeque interrogavit, cum diceret: Quid exspectas? 20.
aut simile quid, nonnunquam ita pergit loqui ut novam addat interrogationem cum irrisione, a formula an dum —? incipientem. Nos vertimus: Etwa bis —? cf. Hom. Il. 5, 465 all. ἐς τί ἔτι —; ἢ εἰσόκεν —; Apud Virgilium leguntur: Quid moror? an — dum —? particulis quidem disiunctis, quale exemplum aliud non habeo. Addendum est, an donec nusquam inveniri videri, quod miror, quoniam pauculis certe locis exspecto donec coniuncta sunt, Plin. ep. X. 122. Lactant. III. 30, 5. Neque an quoad aliaeve eiusmodi formulae a me repertae, quod minus mirabile.

Cic. Divin. I. 36, 79: *quid igitur exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi?* cf. ibid. I. 39, 84. — id. Verr. II. I. 37, 94: *Quid exspectas? an dum ab inferis ille Malleolus exsistat atque abs te officia tutelae, sodalitatis familiaritatisque flagitet?* Terent. Heaut. III. 2, 32: *Et nunc quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo abigat, cum tolerare illius sumptus non queat?*

Virg. Aen. 4, 325: *Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater destruat aut captam ducat Gaetulus Iarbas?* [3])

b) Ciceroni in Verr. IV. 18, 39 cum scribere liceret: ei longum videbatur, dum 21.
illud videret argentum, magis ut cognosceretur quam intemperata Verris libido fuisset, sic scripsit: *Nihil ei longius videbatur quam dum illud videret argentum*, ut inter res duas, quarum alteram altera coerceri voluit, etiam comparationem quandam institueret. Similiter apud Tacitum inter se respondent non ultra — quam dum (h. e. non diutius — quam dum), in quo illud etiam est animadvertendum, in membro hoc altero aeque et apud Ciceronem vidimus, adhiberi coniunctivum; cuius quidem ratio ea est ut vel dubitantis vel morantis

---

[3]) Handius, qui saepe longus est et curiosus in iis, quae pueri tenent, socors autem ac negligens in iis, quae ad contextum orationis perspiciendum, ad quem unum tamen tota illa pertinet particularum doctrina, nonnihil habent gravitatis, non modo formulam eam, de qua supra exposui, praetermisit sed omnino hanc orationis continuandae consuetudinem multiplicem quidem vix attigit I. 353. Ubi cum sola ab eo an quod et an quia commemorata videam, primum augendus videtur esse huius ipsius generis, quod affert, numerus exemplorum. Atque illud quidem legimus etiam Cic. Divin. II. 16, 37 et 59, 122, hoc Terent. Hecyr. IV. 4, 41. Sallust. Catil. 51, 22 et 23. Augustin. de civit. dei III. 3, cf. an propterea quia —? Gell. N. A. IV. 9, 12 f. Deinde addendum est, praeter eam, quam dixi, non nisi has eiusdem modi inveniri formulas videri, per Ellipsin quidem explicandas: an postquam —? Cic. Divin. II. 57, 117 an ut —? Id. Philipp. VIII. 7, 20. p. Milon. 37, 103. Plin. ep. I. 10, 9. Curt. VI. 10 f. Sallust. Catil. 51, 10. Apul. de Magia p. 306. Petron. Arb. fragm. ap. Wernsdorf. P. M. III. p. 68. Lactant. III. 14, 12. VII. 6, 6. cf. εἴπτε —; ἢ ἵνα —; Iliad. I. 202. VII. 26; an ut ne —? Cic. Verr. V. 21, 52; an ne —? id. p. Ligar. 5, 13.

et exspectantis, quem monstret sententia primaria, consilium quoddam significetur. Ceterum quam donec, quam quoad similiaque particularum paria hoc quidem sensu non puto a quoquam esse consociata.

Tac. Ann. II. 80 f.: *ut venere in manus, non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur.* ibd. VI. 44: *nec ultra moratus quam dum Scytharum auxilia conciret.* XI. 26 f.: *nec ultra exspectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solemnia celebrat.*

Alia est ratio exemplorum, quale hoc est: Cic. p. domo 53, 137: *id sperasti rempublicam diutius quam quoad mecum simul expulsa careret his moenibus, esse laturam?* (h. e. länger als so lange als —)'

22. c) Loci Taitei, quos modo attulimus, facile ita etiam constituti esse potuerunt, ut inter duo verborum comprehensionis membra, quae spectanda erant, ratio intercederet adversativa. cf. *Ut venere in manus, dubitatum, non ultra tamen quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur* (doch nicht länger als bis). Deinde brevius haec efferri licuit hoc modo: *dubitatum, dum tamen — eniterentur.* Quae formula invenitur quidem locis permultis, sed a re nostra alienis (cf. §. 40). Quod contra Lampridii illa: quam diu tamen huc pertinet; temporis enim habet terminationem, quam quaerimus.

Lamprid. Heliogab. 29 f.: *Proponebat praeterea his quasi themata, ut iura nova dapibus condiendis invenirent: cuius placuisset commentum, et dabat maximum praemium. — Si aliquis autem displicuisset, iubebat ut semper id comesset, quamdiu tamen melius invenisset* (h. e. non ultra tamen quam dum).

23. d) Quod quarto loco diximus, ita etiam coerceri actionem primariam secundaria temporis quidem ratione, ut simul a re maiore descenderetur ad minorem, pauca huius usus exempla sunt. Exhibendae autem duplici huic rationi Cicero inservire formulam voluit saltem dum, Plautus saltem tantisper dum.

Cic. p. Red. in senat. 7, 17: *tanto scelere tantaque intemperantia fuisti ut ne unam quidem horam interesse paterere inter meam pestem et tuam praedam, saltem dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis.*

Plaut. Rud. IV. 4, 145: *Quid melius est quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum, saltem tantisper dum abscedat haec a me aegrimonia?*

Caput II.

Sententia secundaria, qualis primaria sit actio, accuratius definitur.

24. Cum dicimus actionem primariam, superioris ordinis sententiae non modo verbum, quod proprie appellatur, intelligi volumus, quamquam eius potissimum notio quam late pateat, adhaerescentibus eiusmodi sententiis solet constitui, sed nomen etiam qualecunque. Non enim ita solum, qualis sit actio illa, accuratius definiri videtur, si scribitur e. g. *cives fortiter pugnant, sed ita si patriam periclitari vident,* sed etiam sic: *cives fortiter pugnant, sed ii, qui patriae sunt amantes.* Ceterum hoc quoque inferioris ordinis sententiarum genus, ut in exordio monuimus, partim ipsius sententiae primariae ope adnectitur, partim ope illa supersedet.

A. Definitio formulis efficitur ipsius sententiae primariae ope constitutis.

1. Particula adversativa aut una cum demonstrativa sententiae primariae parte aut sola praemittitur.

a. sed saepissime praemitti solet, rarissime sed tamen.

1. Videamus primum eas formulas, in quibus sed particula cum demonstrativa sen- 25.
tentiae primariae parte coniuncta inveniatur. Sunt autem eiusmodi, ut iis ad sententiam illam coercendam aut statuatur quid aut caveatur aut directe negetur. Ex primo genere hae sunt: sed in eam partem ut —, sed hoc genere ut —, sed ita ut —, sed ita si —, sed ita quoad —, sed hoc cum —, quo accedit sed is, qui —. Ex altero hae: sed ea lege ne —, sed ea conditione ne —, sed tali modo ne —, sed ita ne —, sed ita ut ne —. Ex tertio denique est: sed ita ut non — aliaeque duae: sed ita demum si non — et sed ita etiam si non, quarum illa exhibetur ea conditio, a qua recedi nec ei satisfieri nullo modo possit, hac autem coercetur primum talis sententia, quae ipsa aliquid habeat aliquo modo coartatum, deinde ita, ut id, quod tale habeat, quasi vinculis suis laxari videatur.

Sed tamen particulas, demonstrativa quidem parte adiuncta, non invenimus nisi in Ciceronis formula: sed tamen cum eo, credo, quod (h. e. quoad), cui credendi verbum interiectum quid addat peculiare, nemo est qui non videat.

a) Cic. Catil. IV. 2, 3: *Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius quam et illi et nos una reipublicae peste pereamus.*

Senec. Rh. controv. II. 9 p. 150 Bipont.: *Totam bene dixit controversiam, sed hoc genere ut putares, illo dicente, dicendum sic esse, deinde mirarere, quid illi suspiciosa actione opus fuisset, cum aperte liceret.*

Formulam, quae est sed ita ut prae caeteris in deliciis habet Cicero. Orat. II. 16, 67: *assumamus eam quoque partem, sed ita ut sit circumscripta modicis regionibus.* Fam. XII. 17, 1: *Romae summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod et honestum negotium.* ibd. XVI. 12, 3. d. prov. cons. 8, 19. Philipp. XII. 2, 4 al. Nep. Hamilc. 1, 4. Sueton. Gramm. 16: *Scholam aperuit, sed ita ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet.* Lactant. VI. 17, 9. Rarissime formulae partes reperies disiunctas, ut Cic. Divin. II. 3, 8: *dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem.*

Formula sed ita si adhaerescenti quidem sententiae secundariae inserviens inducendae nescio an unius sit Ciceronis p. Milon. 29, 79: *fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae: si possim efficere ut Milonem absolvatis, sed ita si P. Clodius revixerit.* ad Attic. VII. 7, 5: *ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo: ipse nullos novi, sed ita si ordines bonorum quaerimus. Nam singulares sunt boni viri.* Philipp. VIII. 4, 13: *Atque ais, eum te esse, qui semper pacem optaris, semper omnes cives salvos volueris. Honesta oratio, sed ita si bonos et utiles et e republica cives — salvos velis.* Quae leguntur in Cod. Iustinian. I. tit. 12 prooemio: *Mortuo avo non omnino nepotes neptesque sui iuris fiunt, sed ita si post mortem avi in potestam patris sui recasuri non sunt*, eorum alia est ratio, cum non omnino — sed ita si inter se respondeant (nicht unter allen Umständen — sondern nur dann wenn —) nec eo altera haec pars ad supplendam quodammodo simulque coercendam sententiam primariam addita videri possit, imo duorum periodi membrorum fere eadem dignitas exsistat.

Cic. Rep. II. 23, 43: *Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum sed haud scio an reliquis simplicibus longe anteponendum —, sed ita quoad statum suum retinet.*

Solin. 53, 4: *A Prasia Indorum gente dierum viginti primo in eam* (h. e. Taprobanen) *fuit cursus, sed hoc cum papyraceis et Nili navibus illo pergeretur* (doch nur in der Zeit als).

id. 2, 16: *ibidem Sibyllae sacellum est, sed eius, quae rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit.* id. 40, 12: *Miletos Cadmi olim domus, sed eius qui primus invenit prosae orationis disciplinam.*

b) Cic. Philipp. VIII. 11, 32: *Redeat ad imperatorem suum Varius, sed ea lege ne unquam Romam revertatur.* Boeth. d. cons. philos. II. 2, 20: *Adscende, si placet, sed ea lege ne — descendere iniuriam putes.* cf. Horat. Od. III. 3, 57: *Sed bellicosis fata Quiritibus hac lege dico ne — tecta velint reparare Troiae —*, quam sententiam poeta si in inferiorem ordinem detrudere voluisset, ut appendix esset eius, quae antecederet, ita scribere licuit: *sed hac lege ne — velint.*

Cic. p. Arch. poet. 10, 25 Stürenb.: *iussit ei praemium tribui, sed ea conditione ne quid postea scriberet.* Apud Orell. legitur *sub ea conditione ne,* iis quoque, quae praecedunt, paulo aliter constitutis.

Phaedr. IV. 5, 7: *harum autem matrem fecit heredem senex sub conditione, totam ut fortunam tribus aequaliter distribuat, sed tali modo ne data possideant aut fruantur.*

Colum. d. Arbor. 5, 3: *tum demum optime amputabis, sed ita ne codicem laedas.*

Cic. Fam. XI. 24, 1: *Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita ut ne desim constantiae meae.* cf. Off. II. 21, 3: *singulis consulatur, sed ita ut ea res aut prosit aut certe ne obsit reipublicae.*

Alterius illius loci Ciceroniani alia etiam invenitur lectio sed ita ut non, iure quidem ac merito repudiata. Non enim profecto admitti haec formula potest, si, quid cavendum sit, exhibeatur. Quod contra dubitationem non habet apud Ammianum XXXI. 14, 7: *cessator et piger: nigri coloris, pupula oculi unius obstructa, sed ita ut non eminus appareret.*

Quintil. VIII. 3, 27: *multa alia etiam audentius inseri possunt, sed ita demum si non appareat affectatio.*

Cic. Fam. III. 1, 3: *L. Valerium, iureconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam si non est iureconsultus* (h. e. sed non modo iureconsultum sed ita etiam si non est iureconsultus). Ubi commendationem amici primum ita factam videmus, ut videatur esse specialis quaedam, deinde ita definitam et correctam ut existat generalis.

Cic. ad Attic. VI. 1, 7: *sed plane te intelligere volui mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses: si nihil aliud de hac provincia nisi illius benevolentiam deportassem, mihi id satis esse. Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo, credo, quod sine peccato meo fiat.*

26. 2. Deinde nulla addita parte demonstrativa hae formulae exstiterunt: sed ut —, sed si —, sed cum —, sed in quantum —, quae Ciceronis non sunt, nisi quod quidem — sed si inter se respondentia habet similiter et Latinus Pacatus quidem — sed quatenus et Quintilianus, si modo probanda est lectio, utique — sed quia. Tales autem loci a re nostra alieni sunt, quod in iis primaria sententia concessione iam ante monstrat secundariam eaque se restrictum iri indicat, ut duo periodi membra exsistant quodammodo *ponderibus librata suis.* Negantes formulae illae, quas enumeravi, aut similes mihi ignotae sunt, excepta hac unica: sed ut non, quae est Senecae rhetoris. — Ceterum aientibus quidem addenda est sed tamen ut, quae Horatii est.

Ut ab exemplis incipiamus, nisi propter similitudinem quandam hoc loco non commemorandis, apud Ciceronem legitur in Tusc. V. 9, 26: *Laudat tenuem victum* (Epicurus). *Philosophi id quidem, sed si Socrates aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit,* apud Senecam de benef. I. 11, 4: *Proxima* (beneficia) *ab his sunt, sine quibus possumus*

quidem vivere, sed ut mors potior sit, tanquam libertas et pudicitia et mens bona, apud Latinum Pacatum in Paneg. 41: *Magno quidem, fateor, pectoribus humanis atque adeo maximo lux* (h. e. vita) *amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest aut ille vitari,* apud Quintilianum VI. 3, 14: *Utique in conviviis et sermonibus multi dicaces, sed quia in hoc usu quotidiano proficimus.* Quo loco ultimo utique (h. e. sane quidem) — sed inter se ita respondent ut V. 10, 58: *Proprium autem est aut quod soli accidit, ut homini sermo, risus aut utique* (allerdings freilich) *accidit, sed non soli, ut igni calefacere.* Ceterum quae vis et ratio sit sententiae adversativae eiusdemque causalis priore loco Quintilianeo, videre etiam licet ex Cic. Tusc. I. 37, 90: *Quamquam hoc quidem nimis saepe, sed eo quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis.*

Addamus iam paucula illa exempla, quae habemus huc pertinentia:

Senec. ep. 28, 6: *Tempus est desinere, sed si prius portorium solvero,* quo quidem loco rectius sed si prius formulae instar habentur (cf. §. 56). Dares d. excid. Troj. p. 184: *Hecuba respondit se velle, sed si Priamo suo placeat.* Quae leguntur apud Valer. Max. IV. 5, 3: *Scipio tunc honorem adeptus est, sed si Cicereio magis gratulati sunt* —, corrupta (cf. Kempf.)

Liv. XXXIII. 38, 5: *spem conabatur facere, brevi, quae peterent, habituros, sed cum satis et ipsis et omnibus aliis appareret, ab rege impetratam eos libertatem, non per occasionem raptam habere* (h. e. sed non prius quam —, sed tum demum, cum —, sed ita demum si —).

Plin. Panegyr. 10, 4: *Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi et sanctissimo seni utile fuit, quem dii coelo vindicaverunt.*

ibd. 11, 1: *Dicavit coelo Tiberius Augustum, sed ut maiestatis crimen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret.* Valer. Max. I. 8 Ext. 8: *Cuius ex oraculo reddita vox est, inventurum equum, sed ut eo proturbatus periret.* Horat. Epist. I. 16, 5: *continui montes, ni dissocientur opaca valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol.* cf. Schmid.

Paulo obscurior sententiarum ratio exstitit apud eundem poetam in Sat. II. 1, 79: *Equidem nihil hinc diffindere possum, sed tamen ut monitus caveas ne forte negoti incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum.* Est autem haec: *Assentior, sed tamen ita ut moneam.* Ceterum hunc locum, incipientem quidem ab Equidem, si ita malueris, per me licet reiici ad illos, a quibus profecti sumus.

Senec. Rhet. suasor. 1: *Magnitudini se dat, sed ut non impudenter discedat a fide.* Disiunctae inveniuntur formulae partes et bis deinceps ap. Senec. de benef. II. 15, 1: *Dabo egenti, sed ut ipse non egeam: succurram perituro, sed ut ipse non pereum.*

Sententiae ita primariam restringentes ut inducantur formulis sed ne, sed si non similibusve, quantum ego scio, nusquam inveniuntur.

b) Raro verum praemittitur.

Ex hoc genere paucissimae videntur esse formulae nec quae magnam ab auctoribus commendationem habeant. Sunt autem mihi quidem cognitae hae: verum sic ut, verum ita ut non, verum ut ne, quarum tertiam a reliquis duabus id differre vides, quod non demonstrativam aliquam partem habeat admixtam. 27.

Quintil. IV. 2, 54. *Ne illud quidem fuerit inutile, semina quaedam probationum spargere, verum sic ut narrationem esse meminerimus, non probationem.*

Eutrop. 10, 7: *Militaris gloriae appetentissimus, fortuna in bellis prospera fuit, verum ita ut non superaret industriam.*

Sueton. Grammat. 17: *Quare ab Augusto quoque nepotibus eius praeceptor electus transiit in palatium cum tota schola, verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet.* In qua quidem formula cautionem inesse nemo non videt.

c) Rarius etiam ad eiusmodi formulas autem admittitur.

Ego quidem non plus unam habeo cognitam, quae est tunc autem cum eamque ex uno Senecae epistolarum loco. 28.

Senec. ep. 52, 13: *Relinquantur istae voces illis artibus, quae propositum habent placere populo: philosophia adoretur. Permittendum erit aliquando iuvenibus sequi impetum animi, tunc autem cum hoc ex impetu facient, cum silentium sibi imperare non poterunt.*

d) Contra saepissime tamen particula in hunc usum convertitur.

29. Omnium auctorum optimorum formulae sunt legentium in oculos passim incurrentes sic tamen ut et ita tamen ut, quarum ad similitudinem proxime accedit cum eo tamen ut (doch mit der Einschränkung dass), quae Celsi est, itemque illae, quae singulae singulis locis videntur inveniri et quidem Ciceronis tamen pro eo ut, sequente indicativo (h. e. quatenus), Plinii minoris hactenus tamen ut, Eutropii perinde tamen ut. Paulo saepius reperitur ita tamen si, quacum congruit Quintiliani illa non tamen aliter quam si. Deinde eas, in quibus cautio quaedam insit, has habes: sub ea tamen conditione ne, certo tamen pacto ne, cum eo tamen ne, ita tamen ut ne, quarum haec ultimo loco allata Ciceronis, reliquae sunt aliorum. Quae eiusdem generis formulae particulam exhiberent conditionalem, nullas inveni. Nec vero ex ullo genere addi possunt, quae negent directe, nisi quod apud Ciceronem leguntur eiusmodi tamen, quod — non, genetivo et pronomine ad substantivum quoddam relatis.

Restat ut moneam, omissa quidem sententiae primariae parte demonstrativa unam solam formulam, quae huc pertineat, fictam videri, quae est tamen ut, quam et a Caesare et a poetis nonnullis usurpatam invenimus. Inverso eius partium ordine, ut tamen exsistit, de qua non magis hic disputandi locus est quam de si tamen aut similibus (cf. §§. 41. 42).

a) Cic. Brut. 79, 274: *nec vero ullum* (verbum) *aut durum aut insolens aut humile aut longius ductum: ac non propria verba rerum, sed pleraque translata, sic tamen ut ea non irruisse in alienum locum sed immigrasse in suum diceres.* de Harusp. resp. 21, 45. Quintil. I. 3, 3. VII. 4, 30. Lactant. VI. 12, 38. Epitom. ad Pentad. praef. 4. Apul. Met. VI. p. 115 Alteb.

Insolentius scripsit Cicero ad Attic. XV. 25: *meus animus est aequus, sic tamen ut si nihil offensionis sit;* cuius loci dummodo constet lectio, non alia esse interpretatio potest, quam quae ab Orellio praebetur.

Ad formulae usum, quae est ita tamen ut, stabiliendum Handius III. 476 uno exemplo acquievit (Cic. Fam. XIII. 56, 2) nescio an eo, quod nimis eum vulgarem habuerit. Nos quidem, qui in hac re dedita opera versemur, quoniam minus fastidiosos esse decet, plura afferamus. Cic. de Invent. II. 57, 172: *Nam si velis attendere, ita tamen ut id quaeras, quod conveniat ad usum civitatis, reperias* — id. ad Herenn. 21, 34. ad Attic. XII. 19, 1. XV. 26, 3. ad Fam. III. 1, 2. V. 19, 2. Plin. ep. X. 67 (68) et 98, 2. Senec. controv. III. 19 p. 231. Tac. dialog. 16 et 38. Germ. 11. Vellej. II. 42, 2. 69, 2. 105, 2. Ammian. XIV. 11, 28. Gaii Inst. III. 107.

De constructione per speciem decurtata, qualis est Cic. p. Quintio 20, 63: *Fatetur Alfenum — iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse, ita tamen, more et instituto* (h. e. ita tamen ut esset more et instituto), Hirt. b. Afric. 90: *se eis duntaxat vitam concessurum, bona quidem eorum se venditurum, ita tamen, qui eorum ipse sua bona redemisset, se bonorum venditionem inducturum et pecuniam multae nomine relaturum, ut incolumitatem retinere posset* (h. e. ita tamen ut — inducturus esset et — relaturus), fusius disputavimus in libro, qui inscribitur Lat. Stillehre p. 411—414.

Cels. III. 5 f.: (scire licet) *satius esse, consistente iam incremento febris aliquid* (cibi) *offerre quam increscente, satius esse, instante quam incipiente, cum eo tamen ut nullo tempore is, qui deficit, non sit sustinendus.* id. IV. 6 f.: *Quae quibus temporibus danda sint, ex ratione vel adauctae vel levatae febris apparebit, sic ut in remissione quam maxima dentur, cum eo tamen ut sciamus, non esse eius generis tussi aridas fauces committendas.* id. VII. 27 med.

Cic. Verr. III. 54, 126: *(Summa data est opera a me — ut aratores, qui reliqui erant, quam plurimum sererent), tamen pro eo ut temporis difficultas aratorumque penuria tulit.*

Plin. ep. II. 14, 9: *Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius, hactenus tamen ut auditores corrogaret* (h. e. non corrumperet, ut hodie fit), cf. Sueton. Grammat. 2: *ac nostris exemplo fuit ad imitandum: hactenus tamen imitati ut carmina — diligentius retractarent;* ubi verbum repetitum vides (cf. §. 7 not. 1).

Eutrop. X. 16 (8) Tzsch.: *religionis Christianae insectator, perinde tamen ut cruore abstineret.*

Apud Suetonium Tiber. 24 f.: *tandem quasi coactus recepit imperium nec tamen aliter quam ut depositurum se quandoque spem faceret* — ea est sententiarum coniunctio, ut particulas tres primas (nec tamen aliter h. e. recepit) ad secundariam traducere non liceat.

Quod contra eiusdem integram esse formulam dici non licebit modo sed etiam oportebit apud Quintil. I. 5, 37: *nam id fateor posse accidere voce una, non tamen aliter quam si sit aliquid, quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur.* Nihil enim differt loci natura ab his:

Cic. Divin. I. 6, 10: *De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes.* Colum. de Arbor. 1, 5: *tribus pedibus alte repastinabis iugerum operis octoginta, ita tamen si neque lapis neque tophus aut alia materia difficilior intervenerit.* ibd. 3, 4: *Virgam malleolarem non amplius quam sex gemmarum esse convenit, ita tamen si brevia internodia habent;* ubi altera lectio *(ita tamen sunt, si)* iure repudiatur.

b) Plin. ep. IV. 13, 11: *circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus, sub ea tamen conditione ne fidem meam obstringam.*

Liv. IV. 55, 6: *pervincunt ut senatus consultum fiat de tribunis militum creandis, certo tamen pacto ne cuius ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset.*

Cels. II. 17 p. 94: *manentibus vero adhuc febribus, si hae sunt lentae lienesque tamdiu male habent, recte medicina ista tentatur, cum eo tamen ne praecordia dura sint.* cf. Turs. II. 167.

Cic. ad Herenn. III. 14, 24: *Sermo cum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet: ita tamen ut ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus.*

c) Cic. ad Fam. XVI. 12, 4: *bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod sustinere ille non possit.* (cf. sed is, qui §. 25.)

d) Caes. b. Gall. 5, 15: *Equites hostium essedariique acriter proelio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt, tamen ut nostri omnibus partibus superiores fuerint.* Terent. Hecyr. III. 4, 33: *Quod potero faciam, tamen ut pietatem colam.* Hor. Epist. I. 20, 25: *irasci celerem, tamen ut placabilis essem;* in quo loco interpretando vir doctus, Th. Schmid, formulam hanc, nescio quo modo, saepe ab Horatio usurpatam dicit. Mihi quidem praeter paucula haec, quae attuli, nec Horatii nec alius ullius scriptoris hoc genus exempla nota sunt.

2. Ex particulis vi et natura sua coercentibus, quae sunt modo, tantum, dumtaxat, una aliqua aut cum demonstrativa sententiae primariae parte coniuncta aut sola praemittitur.

1. Particulae modo et dumtaxat una cum demonstrativa illa parte, quam dixi, 30.
apud Ciceronem inveniuntur coniunctioni proxime antecedentes, sed raro. Sunt autem formulae hae: modo sic ut, dumtaxat usque eo ne, ad hoc dumtaxat ne, quarum quidem ultima vim non coercentem modo sed etiam ad rem minorem a maiore deducentem habet (wenigstens in so weit dass nicht —). Ceterum neque modo particula in formulis, quibus quid caveatur aut negetur, adhiberi solet, addita quidem parte demonstrativa (cf. §. 31), neque dumtaxat in iis, quibus quid directe statuatur. Quamquam hoc alterum, quod dixi, habet exceptiones. Nam et apud Macrobium leguntur dumtaxat ille, qui, ut his verbis nomen quoddam sententiae primariae accuratius definiatur, nec verisimile est, nullo loco inveniri dum-

taxat hactenus ut similiave colligata. Disiuncta quidem simulque inter se respondentia habes illa Cic. Orat. II. 27, 119. Postremo addendum est, quod nullam ex hoc genere formulam afferre potuimus, in qua tantum particula adhiberetur, facile id casu factum videri posse. cf. Senec. de benefic. VII. 12, 3: *habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem, in hoc tantum ut spectem* —, qui locus etsi a re nostra alienus est, id quidem certe ex eo cognosci licet, formulam per se talem non omnino fuisse inusitatam.

Cic. Orat. 71, 234: *sed si quos magis delectant soluta* (h. e. in oratione), *sequantur ea sane, modo sic ut si quis Phidiae clypeum dissolverit, collocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem: ut in Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent.* cf. Orelli.[4])

id. p. Quintio 18, 59: *At si in causa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum: nunc, in causa superiore, ne ut par quidem sit postulat, inferiorem esse se patitur, dumtaxat usque eo ne cum bonis, fama fortunisque omnibus Sex. Naevii cupiditati crudelitatique credatur* (doch nur so weit, dass er nicht —, doch nur mit der Einschränkung, dass er nicht —).

id. Orat. I. 58, 249: *Num igitur, si cui fundus inspiciendus aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura aut imperandum villico sit, Magonis Karthaginiensis sunt libri perdiscendi an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in iure civili — satis instructi esse possumus, ad hoc dumtaxat ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur?*

Macrob. Sat. I. 6: *putant eundem Priscum instituisse, ut patricii* (pueri) *bulla aurea cum toga, cui purpura praetexitur, uterentur, dumtaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum.*

31. 2. Omissa parte demonstrativa interioreque particularum illarum societate facta cum coniunctione, hae formulae in usum venerunt: tantum ut, modo ut, modo si, dumtaxat cum, dumtaxat ubi, dein cum negatione coercentes illae: tantum ne et modo ne, quarum loco apud Apuleium modo si — non inveniuntur. Formulas autem, quae sunt modo ut, modo ne, tantum ut, tantum ne cavendum erit, ne, ubicunque in eas incideris, huc pertinere existumes. Sunt enim loci permulti, quibus earum plane aliae notiones agnoscendae sint (cf. not. 5). De tantum quod particularum consortione aptius videtur infra (§. 73) disputari.

Cic. Verr. IV. 5, 10: *concede ut impune emerit, modo ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab invito, nihil per iniuriam.* id. Fam. VII. 1, 1: *utrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse, modo ut tibi constiterit fructus otii tui.* Sulpic. Sever. hist. I. p. 36: *uxorem ei quaereret, ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipse oriundus videbatur, modo ut inventam puellam in regionem Chananaeorum deduceret nec putaret eum causa coniugis in solum patrium rediturum.*

Formulae, quae est modo ne, exempla ex Livio et Cicerone sumpta affert Handius III. 635.

Modo si formulam prae caeteris esse iurisconsultorum idem ille III. 633 non sine causa monet eiusque eorum usus nonnulla exempla commemorat. Quibus duo nos adiecisse satis erit, unum Arnobii VII. p. 247 Lugd.: *Quem si utique sciebat, divinus modo si fuerat, tergiversatorem in obsequio futurum* — (h. e. sciebat sive scire eum oportebat, modo si divinus fuerat), ubi formulam vides interpositam, alterum Apuleii Met. I. init.: *At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas*

---

[4]) Hic illud in transcursu monemus, etiam ut si quis esse formulam modo in exemplis inducendis adhibitam cf. Auct. ad Herenn. II. 26, 41: *ut si quis dicat* — Quintil. V. 10, 34: *ut si quis — dicatur (ut si quando quis* Varro R. R. I. 41, 5), modo in refutatione: Cic. Tusc. V. 26, 74. Liv. VI. 40, 12.

conferam auresque tuas bibulas lepido susurro permulceam, **modo si** *papyrum Aegyptiam, argutia Nilotici calami inscriptam,* **non** *spreveris inspicere,* ubi negationem additam habes.

Ac priori illi loco, verborum collocationem si spectas, simillimus est: Liv. XL. 18, 7: *Nec rei navalis cura omissa. Duumviros in eam rem consules creare iussi, per quos naves viginti deductae navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur, ingenui* **tantum ut** *iis praeessent* (h. e. ita tamen ut ingenui). Aliud eiusdem usus exemplum, quod praesto est, Paul. Diacon. ad Eutrop. 18 p. 578: *non deerit pecunia fisco meo,* **tantum ut** *pauperes eleemosynam accipiant,* hoc habet peculiare, ut ita ibi coerceatur sententia primaria, simul ut ad rem minorem animo descendere nos videamur. Valet enim formula idem quod tantum certe ut (wenigstens in so weit dass).

Liv. XXI. 19, 5: *Quis aequum censeret, aut ob nulla quemquam merita in amicitiam recipi aut receptos in fidem non defendi,* **tantum ne** *Karthaginiensium socii aut sollicitarentur ad defectionem aut sua sponte desciscentes reciperentur?* Ovid. Amor. II. 15, 15: *Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas neve tenax ceram siccave gemma trahat, humida formosae tangam prius ora puellae,* **tantum ne** *signem scripta dolenda mihi.* Disiunctae sunt formulae partes apud eundem Rem. Amor. 715: *nec solam faciem, mores quoque confer et artes,* **tantum** *iudicio* **ne** *tuus obsit amor.*[5])

Dumtaxat cum, indicativo quidem addito, consociata inveniuntur in inscriptione Orell. n. 3678 ap. Hand. II. 337. Similis est locus Colum. II. 12, 3: *Multis tamen nos regionibus aptam esse hiemalem sarritionem comperimus,* **dumtaxat ubi** *et siccitas coeli et tepores permittunt,* nisi quod ibi etiam descensio illa, quam dixi, agnoscenda sit.

---

[5]) Ut discedamus ab usu eo, quem supra illustravimus, modo ut formula optantis est, ut aut primariae sententiae cuidam inserviat inducendae (Plaut. Pers. IV. 4, 26. Terent. Phorm. V. 2, 8), aut secundariae illi quidem sed quae cum vi coercente nihil commune habeat. Facile est enim ad perspiciendum, quid differant exempla haec duo: *Flagelles licet puerum, modo ut valetudini eius parcas* (h. e. modo sic ut — quae sunt coercentis) et *Flagelles licet puerum, modo ut mores eius corrigas* (h. e. dummodo mores pueri corrigas, per me licet eum etiam flagelles). In quo altero exemplo apparet id unum spectandum esse dici, ut mores pueri corrigantur idque si alio modo effici non possit, quasi summum quid et plane insolitum permitti ut etiam flagelletur. Optatio quidem, quam dixi, in hoc genere minus directa est et aperta, ea tamen ut in dubium vocari non possit. Serv. Sulpic. hist. I. p. 70: *Tum rex malo coactus, advocato ad se Moise et Aaron, dat populo discedendi potestatem,* **modo ut** *superductam cladem averterent;* id. II. p. 412: *cum tamen homines parati essent Athanasium a communione suspendere,* **modo ut** *de fide inter episcopos quaereretur.*

Ex altero hoc genere sunt etiam Liv. XXI. 52, 4: *Id Romani,* **modo ne** *quid moverent, aequo satis, Poenus periniquo animo ferebat,* ubi Drak. habet: *ne quid modo.* Addo locum Taciteum eumque intellectu paulo difficiliorem Ann. 13, 55: *servarent sane receptos gregibus inter hominum famam,* **modo ne** *vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos,* quem cum alii aliter aut explicare aut emendare conati sint, ut mea quidem fert opinio, sic videtur esse interpretandus: *servarent sane receptos* (Ansibarios) *gregibus* (inter homines de hac re audientes et iudicantes h. e. hominum opinione), *modo ut servarent.*

Idem usus duplex, quem formulae modo ut accedere vidimus ad tertium illum, de quo supra exposuimus, invenitur etiam formulae, quae est tantum ne, quam Handius IV. 53 strictim attigit. Eius exempla sententiam primariam inducentis sunt: Ovid. Met. 9, 21. Virg. Aen. 6, 74, deinde secundariam: Ovid. Amor. III. 8, 57: *Omnia possideant: illis campusque forumque serviat, hi pacem crudaque bella gerant,* **tantum ne** *nostras avidi praedentur amores* — ubi formula in editionibus nonnullis ab antecedente sententia perperam divulsa est interpunctione maiore. Sensus enim hic est: Per me licet omnia possideant, dummodo mihi relinquant amores, h. e. Nihil opto nisi ut amores mihi relinquant, quod si fecerint, per me licet omnia sibi habeant.

A formulis, quae sunt tantum ut et tantummodo ut, apud Ciceronem aliosque saepe incipiunt sententiae secundariae eaedemque primariae adhaerentes, quae eam nec coerceant nec tectae quid optationis adiiciant sed eius vel totius vel partis alicuius habeant explicationem. Cic. p. Flacco 28, 66: *summissa voce agam,* **tantum ut** *iudices audiant,* id. p. Sulla 10, 30: *cum suppressa voce de scelere P. Lentuli — dixisset,* **tantummodo ut** *vos, qui ea probatis, exaudire posseti*s —, quibus in locis sententias secundarias eo additas videmus, ut adiectiva antecedentia, quae sunt summissa et suppressa diligentius explicentur. Ad

3. Sententiae primariae nihil nisi pars demonstrativa praemittitur.

32. Hoc si est, sententiam illi secundariam coercendi causa esse adiectam non ubique intellectu facile est. Nonnulla tamen genera dubitationem afferre vix possunt.

1. Formulae sententias duas quodammodo coagmentantes si tales sunt ut in iis vel conditionis vel legis vel pacti vocabulum inveniatur adhibitum, non facile dubium esse potest, quin earum vis coercens existimanda sit. Haec enim vis in vocabulis illis ipsis tantum non inclusa haberi potest. Eiusmodi formulae sunt: sub hac conditione ut, ea lege ut, ea lege si, hoc pacto si aliaeque, quibus quid caveatur aut directe negetur, ut ea conditione ut ne et ea videlicet lege ut non. Universe de hoc usu si iudicare voluerimus, fere non esse nisi deterioris notae scriptorum dicendus erit.

Cic. p. Sestio 10, 24: *Foedus fecerunt cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent, exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege si ipsi prius tribuno plebis afflictam et constrictam rempublicam tradidissent.*

Solin. 15, 25: *Probantur* (smaragdi) *hoc pacto si adspectus transmittant.*

Plin. ep. IV. 13, 12: *circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus, sub ea tamen conditione ne cui fidem meam obstringam — — Proinde si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege ut hinc nihil aliud certum quam fiduciam suam ferat,* cf. Terent. Andr. I. 2, 28: *verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem, ea lege atque omine ut, si te inde exemerim, ego pro te molam,* ubi in eo ipso potissimum, quod sententiae primariae minas certo quodam modo coerceri videmus secundaria, irrisio est.

Eutrop. III. 12 (7): *quo tempore etiam rex Macedoniae Philippus legatos misit, promittens auxilia contra Romanos sub hac conditione ut deletis Romanis ipse quoque contra Graecos ab Hannibale auxilia acciperet.*

Ex altero genere exempla sunt:

Gaii Instit. I. 27: *ipsi bonaque eorum publice venire iubentur, ea conditione ut ne in urbe Roma vel intra centesimum urbis Romae miliarium serviant.*

Ammian. XVII. 3, 6: *Caesar impetraverat a praefecto ut secundae Belgicae — dispositio sibi committeretur ea videlicet lege ut nec praefectianus nec praesidialis adparitor ad solvendum quemquam urgeret.*

Senec. de benef. VII. 9, 1: *Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa ne liceat donare, affirmaverim repudiaturum,* ubi pronominis demonstr. loco adiectivum fere eodem sensu positum est.

---

totam sententiam superiorem respiciendum est: Cic. p. Caecina 8, 23: *P. Dolabella praetor interdixit, ut est consuetudo, de vi, hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum ut, unde deiecisset, restitueret.* id. Brut. 9, 38. ad Attic. XVI. 11, 1. Quintil. I. 7, 27. Sueton. Vesp. 16: *negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit coemendo quaedam, tantum ut pluris postea distraheret,* quo loco ultimo inepte Burmannus distinguit tantum, ut. Cic. Fam. XVI. 12, 4: *Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est —, tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere.* Ceterum ut particula in his exemplis modo consilium significat modo consecutionem. Similis est ratio pronominis relativi. Senec. controv. I. 1. p. 78: *praestitisse se dixit exiguum, tantum quo spiritum posset producere.* cf. Cic. Off. I. 36, 130: *Adhibenda munditia est non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam.* Praeterea haec videntur addenda: primum quod supra eiusmodi sententias ad coercendam primariam adiungi negavimus, non id ita accipi volumus, quasi nobis vis coercens, quae inesse solet in particulis tantum et tantummodo, in exemplis modo allatis nulla esse videatur. Pertinet autem haec vis non ad ea ipsa, quae sententia primaria continentur, sed ad consilium, quod iis subsit (zu keinem andern Zwecke als um —), aut ad ea, quae ex illis nascantur (so dass nur dies die Folge war dass —). Deinde non plus unum habeo exemplum, quo nobis persuaderi possit, alias coniunctiones ab hac cum particula tantum societate non abhorrere quidem omnino. Quintil. XII. 2, 2: *Nisi forte accedimus iis, qui natura constare mores et nihil adiuvari disciplina putant, scilicet ut ea, quae manu fiunt, confiteantur egere doctoribus, virtutem vero obviam et illaboratam, tantum quia nati simus, habeamus.*

Ceterum formularum partes saepe disiunctae inveniuntur. Ammian. XVII. 10, 4. 14, 1. 8, 3. XX. 4, 4. Phaedr. App. II. 33, 13 al. Apud eundem poetam legitur IV. 5, 7: *harum autem matrem fecit heredem senex, sub conditione totam ut fortunam tribus aequaliter distribuat*, non addito priori membro pronomine demonstrativo.

2. Non minus constat, coercendae sententiae primariae additam esse secundariam, non 33.
modo si in coniungendis iis aut eatenus, quatenus aut eatenus, quoad adhibentur, in quibus ad cognoscendam sententiarum rationem demonstrativa pars ne necessaria est quidem, sed etiam si formulae illic locum habent, quales sunt: hactenus quod, eatenus ut, illatenus ut, deinde hactenus ne, eatenus ne et quae sunt generis eiusdem. Usus hic omnium optimorum pessimorum scriptorum est; quamquam rarior videtur esse quam quo formularum, quas attuli, partes diversis periodi membris attributae inter se respondeant. In qua concordi dissolutione etiam eatenus — qua, eatenus — si, eatenus — ut tantum inveniuntur, in quas artius quidem iunctas nullo loco incidimus.

Cic. ad Q. frat. I. 1, 3 (11): *Quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus quoad per se negligeret eas leges, quibus esset adstrictus.*

Gaii Inst. IV. 73: *Pro quinque quidem* (sestertiis) *in solidum damnari debes, pro ceteris vero quinque eatenus, quatenus in peculio sit.*

Solin. 5, 16: *De Arethusa et Alpheo verum est hactenus quod conveniunt fons et amnis.*

Gell. N. A. 16, 19: *nautas precum eius harum commiseritum esse illatenus ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent.*

Deinde: Cic. ad Attic. V. 4, 2: *Etiamne hic mihi curandus est? Curandus autem hactenus ne quid ad senatum »consule« aut »numera!«* (cf. Orelli.)

Cels. VI. 6, 38: *Quidam contrito semine portulacae mel adiiciunt eatenus ne id ex specillo destillet.* cf. Colum. V. 6, 14.

Cic. de opt. gen. dic. 7, 3: *virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis et earum figuris et rerum ordine, verba persequens eatenus ut ea non abhorreant a more nostro.*

cf. hactenus — quoad (quod, si, ut) Tursell. III. 12. Walth. ad Tac. Ann. 13, 41. Lactant. Epit. 68, 28. Sulp. Sever. Dial. II. 16 p. 563. Cod. Inst. II. 5, 1.

hactenus — quatenus Ulp. Dig. XV. 3, 10 med.

hactenus — ut — tantum legitur in Cod. Iustin. II. tit. 5, 2: *Item is, qui aedium usum habet, hactenus ius habere intelligitur, ut ipse tantum inhabitet.*

eatenus — ut Tursell. II. 341. Symmach. X. 11 et 39 f.

eatenus — ne Sueton. Tib. 33.

eatenus — quoad Cic. Legg. I. 4, 14 c. not. Orell.

eatenus — qua legitur Cic. de Univers. 11: *qui eatenus nobis declarantur, qua ipsi volunt*, ubi tamen lectio incerta est.

3. Num huc etiam referri liceat Columellae formulam, quae est tantum quantum 34.
ut, facile dubium videri potest. Nam si idem valet, quod ita ut, quaestio tamen exsistit num coercendi vim habeat. Deinde in ea spatii usque ad finem quendam extendendi rationem non minus recte agnoveris. Id tamen constat, in tantum — quantum ne et in tantum — ne, si nihil spectes nisi quid valeant, ad rem nostram pertinere, nisi quod rursus, num haec unquam formularum instar colligata sint, magna est dubitatio. Nec in tantum — in quantum (Senec. d. benef. II. 23, 1. Vellej. 1. 9, 3) a quoquam ita videntur contexta esse, ut adnectendae sententiae secundariae eique primariam coercenti inservirent.

Colum. II. 10, 27 (11, 4): *Deinde vetus stercus iniicito atque ita mense ultimo Aprili serito tantum, quantum ut singuli cyathi seminis locum occupent decem pedum longum et quinque latum.*

cf. id. XII. 24, 1: *aqua marina — de pelago sumenda est atque in dimidiam partem decoquenda: quae cum in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat, partem aliquam eius — pici immiscebimus.*

Senec. controv. II. 15, p. 192: *Matrona, quae se adversus sollicitantes salvam volet, prodeat in tantum ornata ne immunda sit.*

35. 4. Formulae, quae sunt cum eo quod —, cum eo ut —, cum eo ne —, in se quidem nihil admodum habent, ex quo in iis vim inesse coercentem coniici liceat. Et sunt exempla non pauca, unde duarum quidem, quas posui priores, vim illi plane contrariam esse posse eluceat.[6]) Sed tamen multum abest ut ab hoc loco possint excludi. Nam quae sententia primaria continentur, quemadmodum ea extendendi vim formularum illarum propriam esse non temere dixeris, nisi excussa diligenter sententiarum ipsarum, quae iis contexantur, ratione, ita etiam in re ea, quam quaerimus, consideratio illa unica valebit. Efficitur autem ea, esse locos nonnullos, ex quibus formulas huc etiam iure ac merito referri appareat. Quos locos cum aliis quidem commixtos in Tursellino II. 166 allatos invenies.

Quintil. X. 7, 13: *Nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam —: cum eo quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit ut successum extemporalem consequi cura non possit* (mit der Einschränkung indess, dass öfters —, nur dass nicht zu läugnen ist dass öfters).

Liv. VIII. 14, 2: *Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita cum eo ut aedes lucusque Sospitae Junonis communis Lanuvinis cum populo Romano esset.* id. XXXVI. 5, 3.

Columell. V. 1, 4: *Verum quoniam familiariter a nobis tu quoque, Silvine, praecepta mensurarum desideras, obsequar voluntati tuae cum eo ne dubites id opus geometrarum magis esse quam rusticorum desque veniam, si quid in eo fuerit erratum, cuius scientiam mihi non vindico.* Cels. 7, 22.

36. 5. In iudicandis formulis, quae sunt sic ut et ita ut, huc atque illuc fluctuat animus. Paucissimi enim fere loci sunt, qui non dupliciter possint intelligi, ut sententia secundaria primariae et velut supplementum adiici in eaque quae insunt ne existimentur latius patentia, prohibere velle videatur et eam adverbii instar verbo, quod proprie dicitur, adiuncti directe et simpliciter definire censenda sit. Nam *diligenter literas scribere* et *ita literas scribere ut diligentia utaris* et *literas scribere ita ut diligentia utaris*, nihil inter se videntur differre. Et tamen negari nequit, tertium hoc multis locis esse eiusmodi ut idem, quod *literas scribere sed ita ut diligentia utaris* aut debeat valere aut certe possit. In quo qua re metiamur genera haec duo et separemus, nihil est nisi sententiae primariae gravitas quaedam. Illa enim si ita videtur esse proposita, ut, quae exhibeat, absoluta esse et quasi liberrime vagari censere liceat, additamento, quod quaerimus, ea coartari et certis quibusdam in finibus defigi putanda sunt. Quod quidem maxime quadrare ad locos eos videtur, ubi in primaria enuntiatione concessio est aliqua aut praeceptum. Quamquam ne sic quidem legem statui, a qua recedi non possit, multumque sensui cuiusque et arbitrio permitti videmus. Nec vero negantes illae formulae sic ne —, ita ne —, ita ut ne — nihil omnino dubitationis habent. Ceterum haec videntur esse addenda, primum particulae saepe inter se respondentes, sic — si et ita — si num ali-

[6]) cf. cum eo quod Quintil. XII. 10, 47 Spald., cum eo quidem quod id. II. 4, 9 (noch ganz abgesehen davon dass, sive: wozu noch jener wichtige Umstand hinzukommt dass), cum eo ut Liv. VIII. 14, 8. XXX. 10. 21.

Ex eodem genere sunt: simul quod Cic. Verr. V. 32, 84. Liv. XXII. 43, 5. simul quia Sallust. Catil. 19, 1. 20, 3. Quintil. I. 1, 12. simul ut Cic. Verr. II. I. 47, 124. Plin. H. N. 16, 16. Sallust. Catil. 58, 3. Liv. VIII. 6, 11, Iustin. 14, 1. Caes. b. civ. 3, 43. Petron. Arb. c. 65 p. 225. simul ne Sallust. Iug. 4, 2. Liv. IX. 2, 5. etiam quae Quintil. IX. 2, 2. etiam ne Liv. XXIV. 1, 2. et cum Quintil. VIII. 6, 21. cf. infra Not. 13.

cubi inveniantur etiam copulatae, ignorare me; deinde non minus me praeterire, ita demum — si (Turs. II. 255. Cod. Iustin. I. 13, 3. II. 14, 6) num loco aliquo legantur colligata, quod si sit, formulam habere vim coercentem nemo negaverit. Gaii quidem est illa: ita scilicet si, Solini illa: non aliter quam si (h. e. ita si). Nec mihi praesto sunt exempla, quibus tum — si vel tum demum — si etiam in unam coaluisse formulam demonstretur. Idem cadit in particularum paria, quae sunt sic — quod (Cic. Fin. III. 5, 16) et ita — quod (id. Verr. II. I. 46, 119. Plin. ep. IV. 21, 2). Quod contra ita — cum particulas (Turs. III. 478) ab interiore illa societate non plane abhorruisse videmus ex loco a nostra quidem re alieno: Cod. Iustin. I. 14, 1: *servus alienus pure inutiliter testamento datur tutor: sed ita, cum liber erit, utiliter datur.* Et Ammiani formula est etiam ita demum cum, cuius quidem vim esse coercentem in dubium vocari non potest.

Addam exempla ad id, quod quaerimus, aut aperte pertinentia aut certe non nimium ab eo remota.

Phaedr. App. III. 9, 7: *Interrogasse sic gallinam dicitur: dic, sodes, quanto possis satiari cibo? Respondit illa: Quidquid dederis, satis erit, sic ut concedas pedibus aliquid scalpere.*

Liv. XXVI. 34, 6: *Campanos omnes — liberos esse iusserunt, ita ut nemo eorum civis Romanus aut latini nominis esset.* Colum. de Arbor. 9, 2.

Colum. l. c. 9, 3: *tum demum in se compositum colligato, sic ne gemmas allidas.* ibd. 3, 4.

Colum. loc. eod.: *tum in terram bene pastinatam et stercoratam rectum sarmentum defigito, ita ne minus quatuor gemmae abscondantur.* id. V. 6, 16: *Mox de ternis pedibus superpositis alii rami submittendi sunt, ita ne iisdem lineis, quibus in inferiore, positi sint.* cf. Schneid. — id. XII. 38, 5.

Lactant. de mort. persec. 34, 4: *promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam, ut denuo sint Christiani et conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant.*

Gaii Inst. 3, 134: *Praeterea literarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, id est, si quis debere se aut daturum se scribat: ita scilicet si eo nomine stipulatio non fiat, quod genus obligationis proprium peregrinorum est.*

Insolita orationis contractio videtur esse apud Solinum 52, 59: *Verum tamen, si adamantes diu in sanguine hircino macerentur, non aliter quam si calido vel recenti —, aliquando cedunt atque in particulas dissiliunt,* h. e. non tamen aliter quam si sit calidus vel recens (cf. Quintil. I. 5, 37) „doch muss es heiss oder wenigstens frisch sein." Ubi quae grammatica videtur esse loci difficultas, tollitur eo, si post formulam sententiae superioris verbum animo repetas (non aliter quam si — macerentur). cf. Colum. Arb. 1, 5: *si ne minus duobus pedibus alte* (h. e. repastinabis), *repastinabis operis sexaginta.*

Ammian. XXIV. 1, 14: *Hostiles tamen agros — cum segetibus et tuguriis inflammari permisit ita demum cum usui necessaria abunde sibi quisque collegisset.* cf. id. XX. 3, 7: ita demum — cum.

B. Definitio nuda efficitur sententia secundaria.

Ut facilius, quae in singulis loci huius partibus sint memorabilia, discernamus, sen- 37.
tentiae secundariae, quam nudam diximus, duo genera esse statuendum est. Aut enim ita est comparata ut vel coniunctioni, unde incipiat, vel pronomini relativo particula adhaereat, nonnihil conferens illa quidem ad sententiarum rationem primariae et secundariae illustrandam, aut ita ut hac ope abstineatur. In particularum numero huc pertinentium prae caeteris referendae sunt tamen et modo, quas ut, primariae sententiae partes cum essent, saepe tamen in secundariae esse proxima vicinitate vidimus, quasi ad eius interiorem societatem inclinatae, ita etiam plane addictae ei quodammodo et consecratae nonnunquam interponuntur. Tertia

accedit quidem particula, cui, si singulis Quintiliani et Frontonis et Orosii locis tantum tribuere volueris, adiici eatenus qua et certe et dumtaxat poterunt. Simillima denique ratio est duarum, quae sunt temporis, prius et interim, in quibus eam notionem esse apparet, ut sententia secundaria, cuius primae parti inveniantur adiectae, quasi coacta primariam subsequatur. Sunt enim ad priora respicientes.

1. Sententiae secundariae adiiciuntur particulae, vim eius coercentem magis illustrantes.

a) Tamen adiicitur.

38. 1. Magnam partem huc pertinent inferioris ordinis sententiae a formulis, quae sunt dum tamen, si tamen, ut tamen incipientes, quod contra excludendae ab hac provincia eae sunt, quae formulis quod tamen, quia tamen, cum tamen inducuntur. Praeterea etiam ex parte quadam sed minore huc referri licet relativas sententias, a qui tamen et quantum tamen formulis proficiscentes.

39. Hoc ultimum genus multo saepius alienum esse a re nostra paulo infra videbimus. (cf. Not. 8.) Hic aliqua addenda videntur esse, ex quibus tria illa particularum paria, quae loco secundo commemoravimus, nihil commune habere cum usu eo, in quo explicando versamur, eluceat. Sunt autem omnia eiusmodi, non ut sententiae primariae inserviant coartandae sed ut aut ei ipsi partive eius aut alii alicui sententiae ex orationis contextu audiendae aliquid aliquo modo contrarium opponant. Quae quidem oppositio ea est, quae inter sententias a particulis, quae sunt etsi — tamen, incipientes solet intercedere. Cic. Orat. II. 48, 198: *Accedebat ut — ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem — posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset* (cf. etsi vix satis honeste defenderem civem seditiosum, tamen quod eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset, venia dabatur). Senec. cons. ad Polyb. 29, 5: *neque enim quidquam minus inter se consentaneum est quam aliquem moveri, quod sibi talis frater parum diu contigerit, non gaudere, quod tamen contigerit* (cf. etsi moveris, quod parum diu contigerit, tamen non gaudes, quod contigerit).

Cic. Orat. Partit. 34, 117: *deinde etiam argumento firmo, quia tamen saepe falsum est, posse recte non credi* (cf. quia saepe argumentum, etsi est firmum, tamen falsum est), id. p. Quint. 22, 71.

Ab hoc autem usu si discedimus, non inveniuntur quod tamen et quia tamen nisi in protasi aut ea, quae rursus pars apodosis habenda sit (quamquam —, quia tamen similiaque vide in libro meo Lat. Stillehre p. 247) aut vulgari. Vulgaris autem si est, tamen particula priori orationi respondet ita constitutae ut in ea quidem locum aut habeat aut habere, si quaeris, debeat. Plin. ep. V. 14, 4: *Melius quidem Nominatum fuisse facturum, si causam Vicentinorum — pertulisset: quia tamen in hoc genus culpae non fraude incidisset, liberandum.* Liv. XXXIV. 35, 2. Similiter Apul. de Magia p. 275: *Possem equidem bono periculo vel his dictis contentus perorare. Quoniam tamen mihi pro accusationis longitudine largiter aquae superest, cedo, si videtur, singula consideremus.*

Hoc igitur constat, formularum illarum nullo loco vim esse coercentem ut idem valeant quod: nulla tamen alia de causa quam quod —.

Neque vero aliter iudicandum est de formula, quae est cum tamen, multo quidem frequentius, quam illae solent, usurpata. Cui utrum addatur indicativus an coniunctivus, ad eam sententiarum rationem, quam spectamus, nihil admodum interest. Ceterum duo sunt exemplorum genera, alterum eorum, in quibus concessionem, ad quam adversativa particula referenda sit, ex oratione proxime antecedente repeti oporteat, ut Cic. Verr. V. 29, 74: *Fit in eo gemitus omnium et clamor, cum tamen a praesenti supplicio tuo se continuit populus Romanus* (cf. etsi omnium fit gemitus et clamor, tamen), Tac. Histor. 1, 62: *Torpebat Vitellius — medio diei temulentus et sagina*

gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, Apul. de Magia p. 279. Lucret. 2, 688. 3, 107 similiterque coniunctivo subsequente Cic. Philipp. II. 18, 45: *Quoties te pater eius domu sua eiecit! quoties custodes posuit, ne limen intrares! cum tamen tu nocte socia, hortante libidine — per tegulas demitterere* (Orell. *cum tu tamen)*, Sulp. Sever. Hist.I. p. 214: *Ita Achab vinea potitus est, cum tamen Nabuthaei mortem doluisse referatur.* — Alterum genus tale est ut ad tamen particulae usum bene perspiciendum tota sententiarum, quae a scriptoribus exhibentur, ratio mirum in modum mente et animo invertenda sit. Non enim oppositio in iis sed concessio sumenda est ex enunciato secundario, illa autem a primario petenda. Cic. Fam. XI. 5, 1: *Eo factum est ut ad te Lupus sine meis literis rediret, cum tamen curasset tuas ad me perferendas* (cf. Etsi tuas ad me perf. curaverat, tamen ad te sine meis rediit), id. Pison. 12, 27: *Ac ne tum quidem emersisti ex miserrimis naturae tuae sordibus, cum tamen ille — Gabinius collegit ipse se et contra suum Clodium — pugnavit.* p. Plancio 41, 98: *qui antequam de meo adventu audire potuissent, cum tamen abessent aliquot dierum viam, in Macedoniam perrexi* (cf. Etsi aberant aliquot d. v., tamen de meo adventu nihil audiebant). Sulp. Sever. Hist. II. p. 423: *Hilarius, quartum iam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos episcopos per vicarium et praesidem adesse compellitur, cum tamen nihil de eo specialiter mandasset imperator.* id. II. p. 412. Similem rationem inveniemus (cf. not. 8, 2) nonnullarum ex iis sententiis relativis, quas ut tamen particulam continere, ita multum a re proposita aberrare diximus. — Ceterum vix operae pretium est monere, inversionem illam, quam dixi, faciendam esse, si subtilius particulae adversativae vim et rationem excutere volueris nec eo prohiberi quidquam quominus in hoc etiam sententiarum genere formulam cum tamen oppositioni significandae servire iudicemus.

Quoniam semel de via defleximus, hoc etiam commemorare liceat, formulam, de qua disputavimus, comparari posse cum his: cum nihilo minus Cic. Verr. V. 54, 142. cum idem id. Orat. III. 25, 98 (tamen iidem id. Philipp. X. 7, 14. Hor. Epist. II. 2, 192), cum alioqui (während doch sonst umgekehrt) Plin. ep. II. 19, 6. IX. 35, 1. 39, 1. cum potius Augustin. d. civit. dei I. 1. II. 2 et 11 (cf. *cum deberet potius —, contra* — Apul. Met. VII. p. 136), quae formulae omnes oppositionem significant aut eandem, quam cum tamen, aut certe similem.

2. Particulae dum tamen et ita colligari possunt, ut in priore illa temporis ratio 40.
habenda sit et ita ut conditionis. Atque ille quidem usus rarissimus est, hic frequentissimus.

Handius II. 326, plane illum neglexit nec ego plus unum exemplum habeo ad eum stabiliendum. Quintil. XII. Prooem. 2: *Mox velut aura sollicitante provecti longius, dum tamen nota illa et plerisque artium scriptoribus tractata praecipimus* h. e. ita tamen ut eo tempore — praeciperemus).

Alterius generis etiam ex Cicerone noti nonnulla ille l. c. affert exempla, quibus addi possunt, Quintil. I. 1, 11: *Si tamen non continget, quales maxime velim nutrices pueros habere, paedagogus at unus certe sit assiduus, qui, si qua erunt ab his praesente alumno dicta vitiose, corrigat protinus nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id, quod prius dixi, bonum esse, hoc, remedium.* Augustin. de civit. dei II. 10 et 22. Gaii Inst. II. 88. 132. 134. Cod. Iustin. I. 6, 5. 10 prooem. II. 1, 1. 13, 1. Disiunctas formulae partes habes Quintil. VIII. prooem. 32: *Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta.*

3. Pervulgata est formula si tamen h. e. ita tamen, si (vorausgesetzt dass), qua 41.
prope cuiusvis generis scriptores cum aliis modis tum ita usi sunt ut cum in superioris ordinis enunciatio directe aliquid positum sit, id postea num aut sit revera aut esse possit in dubium vocetur. Quae quidem dubitatio nihil fere differt a negatione, id quod cognosci solet ex sententia relativa coercenti illi eo consilio addita, ut rem modo commemoratam non aut esse aut esse posse appareat. Ceterum eiusmodi sententiae conditionales cum sequi primariam consuerint, non raro tamen etiam in mediam eam se insinuant. Ex quibus collocandi generibus ut alterum illud cum natura earum consentit, hoc alterum non dissentit certe, ita tertium idque ei repu-

gnans habet Ovidius. A secundaria enim sententia, de qua disputamus, incipere epistolam ausus est Heroid. 11, 1. Praeterea haec commemoro: primum adiungi interdum formulae aut certe aliis verbis interiectis addi vel omnino voculam vel alioquin vel revera, ut sit: si tamen — omnino wenn anders überhaupt, si tamen — alioquin wenn anders sonst, si tamen revera wenn anders wirklich. Quas voculas ab illius vi et natura non abhorrere, imo eam quodammodo adiuvare nemo est qui non sentiat. Deinde esse etiam formulas duas, quarum altera, si quis tamen, pronomine disiunctas habeat particulas, altera negans sit, ut colligentur si tamen non (wenn anders nicht, vorausgesetzt dass nicht). Postremo illud addo, cum magno numero locorum huc pertinentium si comparetur paucitas eorum, qui a re nostra alieni habendi sint, plane evanescere eam videri. cf. Hor. Od. I. 3, 21: ***Nequidquam deus abscidit prudens Oceano dissociabili terras, si tamen impiae non tangenda rates transiliunt vada***, ubi formula sententiis inter se opponendis inservit (si, etsi abscidit — tamen transiliunt), Cic. ad Attic. XII. 14, 3: ***solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses*** (al. l. ***si tu etiam)***, ubi tamen particula idem valet quod certe tamen (cf. si non alii, tu certe tamen).

Cic. Philipp. XIII. 17, 35: ***Nihil moror eos salvos esse et ire quo iubetis; si tamen patiuntur perire eum, qui meruit*** (al. l. ***si tantummodo***). Quintil. I. 8, 6: ***Utiles tragoediae, alunt et lyrici, si tamen in his non auctores modo sed etiam partes operis elegeris.*** id. II. 13, 16: ***Sed adiuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam monstrent.*** id. VI. 3, 57. XII. 11, 29. id. VIII. 5, 30 (ex conicct. Spald.): ***Itaque videas et divisionem pro sententia poni et argumentum, si tamen in clausula et calce pronuntietur.*** Colum. III. 11, 7. Val. Max. II. 7, 14. Lactant. VII. 12, 12. 25, 8. Apul. Met. XI. p. 224: ***Eius mirandam speciem ad vos etiam referre connitar, si tamen mihi disserendi tribuerit facultatem paupertas oris humani.*** Macrob. Saturn. Prooem. f. Oros. 2, 17 f. 6, 22 f. Symmach. IX. 30 f. Cod. Iustin. II. 19, 6. Ovid. Trist. III. 14, 23: ***Nunc incorrectum populi pervenit in ora, in populi quidquam si tamen ore meum est.***

Quintil. II. 15, 4: ***Haec opinio originem ab Isocrate, si tamen revera ars, quae circumfertur, eius est, duxit.***

Apul. Met. VI. p. 110: ***Impares enim nuptiae et praeterea in villa sine testibus et patre non consentiente factae, legitimae non possunt videri ac per hoc spurius ille nascetur, si tamen partum omnino proferre te patiemur.***

id. IX. p. 176: ***Nam et assiduo plane commeantem in eius cubiculum quendam sentiebam iuvenem, cuius et faciem videre cupiebam ex summo studio, si tamen velamentum capitis libertatem tribuisset meis alioquin luminibus.***

Plin. ep. V. 4, 4: ***Erexi aures tuas. Quamdiu nunc oportet quam blande roges, ut reliqua cognoscas! si tamen non ante ob haec ipsa veneris Romam spectatorque malueris esse quam lector.*** id. IX. 30, 1: ***Laudas mihi — Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam: et ipse laudo, si tamen non in hos solos.*** id. IX. 34, 1: ***Hoc quoque familiare, quod elegi non bene, sed melius lecturum, si tamen non fuerit perturbatus.*** Quintil. VI. 3, 19: ***Sane tamen, ut ille*** (sal) ***in cibis paulo liberalius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriae voluptatis, ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim.*** Apul. Met. VII. p. 130: ***me vobis ducem fidissimum, si tamen non recusatis, offero.*** cf. ibd. VIII. p. 160. Deinde disiunctis formulae partibus: Columell. II. 10, 10: ***quinta decima luna, si tamen ea non transcurret eo die solis radios —, si minus, quarta decima — spargatur.*** Fronto princip. histor. 7: ***rem copiose scribere adgrediemur, si tamen hoc, quod gustui mittimus, non displicebit.*** Sulp. Sever. Hist. II. p. 297: ***abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit, DCCCLXXX.***

Similiter inserta invenitur sententia conditionalis Quintil. I. 2, 27: ***Quod adeo verum est, ut ipsius etiam magistri (si tamen ambitiosis utilia praeferet) hoc opus sit.*** id. IX. 2, 55. II. 15, 4. Plin. Paneg. 86, 4. id. ep. VII. 31, 1. Columell. II. 10. Orosius ad Aurel. Augustin. Sulp. Sever. Hist. II. p. 297. Ovid. Heroid. 20, 29. Phaedr. II. 5, 5: ***Hanc emendare (si tamen possum) volo vera fabella.***

Protasis instar praemissa est: Ovid. Heroid. 11, 1: ***Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris, oblitus a dominae caede libellus erit***; qui usus rarissimus quid differat a vulgari illo, quo protasis, quae iure dicitur, a formula si tamen incipiat (ut Quintil. X. 7. 22 al.) non est quod explanem.

Dissolutae formulae exempla sunt Apul. d. Magia p. 289: ***si digne tamen***, cf. si quis tamen Plin. ep. VII. 31, 1. si qui tamen Apul. Met. VIII. p. 160. si qua tamen Ovid. Heroid. 11, 1. si quid tamen ibd. 20, 29. Apul. Met. VIII. p. 145. ***si quid est tamen*** Apul. l. c. I. p. 8.

Rarissima sententiarum primariam coercentium exempla sunt, in quibus verbum, quod proprie dicitur, desideretur, ut Plin. ep. VII. 31, 1: ***vir alioqui rectus, integer, quietus ac paene ultra modum (si quis tamen ultra modum) verecundus***, id. IX. 30, 1: ***Laudas — quod sit liberalis in quosdam: et ipse laudo, si tamen non in hos solos.***

Ut transeamus ad locos eos, ubi primariae quid sententiae in dubium vocatum vel potius negatum videamus secundaria, id moneo, repeti in ea debere verbum, ad quod dubitatio pertineat: Plin. ep. II. 1, 10: ***Quibus ex causis necesse est tanquam immaturam mortem eius in sinu tuo defleam, si tamen fas est aut flere aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est.*** Senec. controv. II. 10 p. 165: ***Ingenuus virginem rapuit, si tamen rapuit.*** Apul. de Magia p. 270: ***ne quid tu rerum mearum nescias, si tamen nescis, profiteor mihi relictum a patre HS vicies.*** ibd. p. 258. Saepissime ita nomina inveniuntur repetita: Ovid. Met. 10, 322: ***hoc prohibete nefas scelerique resistite tanto, si tamen hoc scelus est.*** Lactant. de Ira dei 17, 8: ***quae tanta in quoquam potest patientia reperiri, si tamen patientia nominanda est et non stupor quidam insensibilis.*** Sulp. Sever. Dialog. II. 5 p. 549.

Auct. b. Alexand. 63: ***neque opinantibus omnibus (si tamen in omnibus fuit Cassius: nam de huius conscientia dubitabatur) impetum fecerunt.*** Lactant. I. 21, 32: ***Cuius rei haec ratio redditur, si tamen ulla esse ratio in rebus vanissimis potest.***

Repetitio illa minus accurate facta est: Ovid. Heroid. 20, 33: ***dicar dolosus, si tamen est, quod ames, velle tenere dolus.*** Apul. Met. VIII. p. 145: ***indagaturus feras, si quid tamen in capreis feritatis est.***

Enunciato relativo conditionali adnexo causa continetur, cur res illa, antea per speciem modo addubitata, plane nulla esse existimanda sit: Lactant. II. 11, 13: ***Omnis ergo illa ratio impossibilis et vana est, si tamen ratio dici potest, qua id agitur ut nulla sit ratio.*** id. III. 2, 2: ***Ordiamur itaque a communi philosophiae nomine ut, ipso capite destructo, facilior nobis aditus pateat ad exscindendum omne corpus, si tamen potest corpus vocari, cuius partes ac membra discordent.*** id. III. 28, 17: ***Hinc academiae disciplina manavit, si tamen disciplina dici potest, in qua ignoratio et discitur et docetur.*** Apul. Met. I. p. 8.

Denique silentio praeterire non possum Ovidii locum, quem tamen non audeo contendere esse singularem, Met. 4, 536: ***Aliqua et mihi gratia ponto est, si tamen in dio*** (Web. ***medio) quondam concreta profundo spuma fui Graiumque manet mihi nomen ab illa.*** Qui locus si comparatur cum iis, quos paulo supra attulimus, ut illic sententia conditionalis ea fuit, ut negationem continere videretur, ita hic ea est ut contineat affirmationem. Est enim formula causalis quaedam, ut idem valeat, quod si quidem sive quoniam.

4. Multo rarius invenitur ut tamen eo sensu, quo ita tamen ut, nec hunc usum 42.
Ciceronis esse demonstrare quis posse videatur. Quod contra idem ille in deliciis habet eas verborum comprehensiones, quarum in diversis partibus collocata inter se respondeant ita — ut tamen non. Quae quidem scribendi censuetudo nihil commune habet cum re nostra, quoniam in his formulis tamen particulae ea vis est ut sententiae cogitatione addendae sententiam opponat. [7])

---

[7]) Quae ratio intercederet inter periodi partes, in quibus ita — ut tamen adhiberentur, bene cognovit Handius III. p. 475. 476. Cuius exemplis maximam partem Ciceronianis haec addimus: Cic. Brut. 55, 203: ***gestus et motus corporis ita venustus ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur*** (h. e. ita venustus ut, quamvis venustus esset, tamen). p. Sestio 5, 13: ***Verum haec ita praetereamus, ut tamen***

Apta ad rem nostram haec sunt exempla: Quintil. X. 7, 22: *Tum et tardior pronuntiatio moras habet et suspensa ac velut dubitans oratio, u t t a m e n deliberare, non haesitare videamur.* Gaii Inst. III. 175 (locus est mutilus). Cod. Iustin. I. 25, 5. II. 4, 2. Hor. Sat. II. 6, 82: *asper et attentus quaesitis, ut t a m e n artum solveret hospitiis animum.* Deinde disiunctis formulae membris Liv. XXXIII. 31, 11: *Postremo ita decretum est: Corinthus redderetur Achaeis, u t in Acrocorintho t a m e n praesidium esset.* Lucret. 3, 684: *sed, velut in cavea, per se sibi vivere solam* (animi potestatem) *convenit, ut sensu corpus t a m e n affluat omne.*

Vellej. II. 93, 2: *M. Marcellus, quem homines ita, si quid accidisset Caesari, successorem potentiae eius arbitrabantur futurum, u t t a m e n id per M. Agrippam securo ei posse contingere n o n existimarent — decessit.* Quo loco i t a, si cohaerere videntur, non i t a — u t t a m e n inter se respondere. Hoc alterum quidem si magis arriserit, non minus exemplum alienum erit quam quae infra vides allata.

---

intuentes et respectantes relinquamus. Senec. benef. V. 16, 5: *dum i t a cum tertio rempublicam dividit u t t a m e n in sua domo duae partes essent* (h. e. ita dividit ut, quamquam dividit, tamen). Eutrop. X. 17 (9). Lactant. I. 3, 21. VII. 1, 11. Apul. Met. VIII. p. 159.

In loco ex Sestiana sumpto u t t a m e n formula sententiarum non modo oppositioni sed etiam ab ampliore altera ad alteram tenuiorem descensioni cuidam designandae inservit, quam descensionem Carolus Halm s a l t e m particula in loci interpretatione addenda rectissime significat. Simile est exemplum illud Livianum, nisi quod non est ibi particula demonstrativa, ad quam formula respiciat: XXXI. 10, 4: *Vicinae urbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas portas praesidiaque per muros disponenda, u t obsiderentur t a m e n prius quam expugnarentur nuntiosque mitterent ad praetorem Romanum* (h. e. ut, si libertatem servare non possent, obsiderentur certe tamen), qui locus num singularis sit an alii inveniantur ei similes, in dubio relinquimus.

Ceterum quemadmodum i t a — u t t a m e n, eodem modo etiam s i c — u t n i h i l o m i n u s inter se respondent Senec. benef. VII. 5, 1: *sic omnia sapientis esse dico ut nihilo minus proprium quisque in rebus suis dominium habeat.* Comparari etiam possunt i t a — u t s i m u l. Plin. ep. VIII. 11, 1: *quamquam vereor ne — ita gaudeas periculo liberatam* (fratris filiam), *ut simul, quod periclitata sit, perhorrescas.* id. IX. 5, 1: *honestissimum quemque complecti atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare.*

Transeamus iam ad locos eos, in quibus periodi membrum adversativum particulam additam habeat negantem. Cuius usus ad nostram quidem rem pertinentis cum supra non plus unum afferre exemplum potuerim, migrare si volueris fines a nobis constitutos, facile alia multa in oculos incurrent. Sunt autem tria eorum genera. Primum inter se respondent i t a — u t t a m e n n o n — ex quo genere nonnulla Handius l. c. affert. Addimus Cic. Brut. 40, 148: *ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem.* cf. Sulpic. Sever. Dialog. II. 13. p. 561: *Verum ego ita virtutem huius virginis praedicabo, ut tamen nihil illis — arbitrer derogandum.* Deinde i t a — u t n o n t a m e n Sulpic. Sever. vit. Martini 7. p. 473: *atque ita implebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret.* cf. Senec. benef. VII. 26, 1. Tum i t a — n e t a m e n, cuius quidem usus exemplum non habeo nisi iam ab Handio laudatum illud Liv. XXII. 61, 5: *Est et alia de captivis fama, decem primos venisse; de iis cum dubitatum in senatu esset, admitterentur in urbem necne, ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur.*

Praeterea addendum videtur quiddam, quod quale haberi velim ut appareat, recurrendum mihi est ad genus medium quod posui. Si Sulpicio l. c. pro d e s e r e r e t eodem quidem sensu scribere libuisset n o n o b s e r v a r e t, ea exstitisset periodi forma, ut inter se responderent: i t a — u t n o n t a m e n n o n. Quod contortum dicendi genus quemadmodum constare videtur esse nullius, ita accidere potuisse scribentibus, ut in talis verborum ambitus, qualem spectamus, secunda parte bis ponere negationem, si quaeris, cogerentur, certum est. Quam difficultatem nisi ita ut Sulpicio devitare liceret, verisimile est alio modo veteres effugere studuisse. Nimirum particulas negantes duas inter duo periodi membra distribuisse censendi sunt, ut scriberent n o n i t a — u t n o n t a m e n. Cuius usus plana quidem documenta non habeo, latinum tamen esse apparet, ni fallor, ex Senec. benef. VII. 26, 1: *Quaeris, quemadmodum ingrati ferendi sint? Placido animo, mansueto, magno. N u n q u a m te t a m inhumanus et immemor et ingratus offendat, u t n o n t a m e n dedisse delectet.* Sensus enim loci hic est: ita te ingratus offendat, ut non tamen illud fiat ut dedisse non delectet h. e. ut non tamen dedisse non delectet.

5. Sive Ciceronem spectas sive alium aliquem auctorem, nihil profecto tam tritum tamque usitatum esse potest quam particulae, quam quaerimus, ad pronomen relativum adiectio. Accuratius tamen si locos inspexeris, ubi qui tamen aut simile quid formularum inveniatur, omnes fere alienos esse reperies. A pauculis enim iisque maximam partem recentiorum scriptorum exemplis si discesseris, cetera omnia esse ea videbis ut particulae illius ope sententiarum duarum, alterius quidem planis verbis exhibitae, alterius cogitatione comprehendendae inter se oppositio sustentetur. [8]) Rariores etiam loci sunt huc pertinentes, ubi sen- 43.

---

[8]) Quod hanc sententiarum inter se oppositionem generibus formisque a nullo diligentius distinctam video, paucis hic eam exponere conabor, praesertim cum, quae supra dixi, ita demum probari posse spes sit. Excepta igitur locorum paucitate, ubi qui tamen vim coercentem habeant idemque valeant quod sed is, qui —, non alius tamen quam qui —, formula illa ita usurpatur ut duae sententiae particulis etsi — tamen inductae directe inter se opponi intelligendae sint. Diversae sunt autem concessionem illam exquirendi viae.

a) Saepe quidem eam elici oportet ex superioris ordinis sententia, cui relativa adhaereat. Cic. Tusc. III. 17, 36: *Ne iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci, quae tamen ita dicet* — (cf. Etsi iustitiae minimum esse videtur in hac causa loci, tamen ita dicet —). Orat. III. 25, 98. p. Plancio 21, 52. p. Ligario 12, 34. Caes. b. Gall. 1, 40. Plin. ep. IV. 2, 1. V. 1, 9. Quintil. IV. 1, 58. XII. 5, 5. cf. Cic. Tusc. V. 35, 102: *Quae qui privatim habent, nec tam multa — et raro vident, cum in sua rura venerunt, quos tamen pungit aliquid, cum illa unde habeant, recordantur* (non: quos praeterea, cui interpretationi particulae notio repugnat, sed: et tamen, etsi pauca sunt eaque raro vident, pungit eos aliquid). In quo numero ii etiam loci referendi sunt, ubi, quae sententia primaria contenduntur, refelli videmus secundaria. Cic. p. Flacco 37, 92: *Magnum erat ei certamen propositum, magna cum Graecis contentio: qui tamen, ut opinor, iacent victi* (h. e. Etsi dicis, magnum fuisse ei certamen, tamen — sive: dicis quidem —, tamen). Quintil. III. 6, 102: *Oppositam esse legem, quae tamen non id efficiat ne filius sit sed ne heres.*

Ex hoc genere illud quoque Lactantii exemplum est, in quo ad pronomen relativum idem accessit: V. 2, 17: *Praecipue Paulum Petrumque laceravit ceterosque discipulos tanquam fallaciae seminatores, quos eosdem tamen rudes et indoctos fuisse testatus est.*

b) Sunt deinde loci, quorum ratio plane contraria esse videatur. Cic. Fam. I. 9, 11: *Ne periculis quidem compulsus ullis, quibus tamen moventur etiam fortissimi viri, ad eorum causam me adiungerem* (h. e. et tamen iis moventur etiam fortissimi). Plin. ep. III. 12, 2: *Erunt officia antelucana, in quae incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Caesar ita reprehendit ut laudet* (h. e. tamen eum sine laude reprehendere Caesar non potuit). Si his locis legerentur haec: *periculis etiam fortissimi viri moventur, quibus tamen ipsis — non compellor; Caesar sine laude reprehendere Catonem non potuit, cui tamen ipsi — non licuit,* exempla haberemus ex genere superiore. Quodcum sententiarum illic ordo et ratio plane contraria sint, apparet etiam ad explorandam orationis partem, unde sumi debeat concessio, quam respici tamen particula iubet, viam plane contrariam iniri oportere. Inerit igitur illa in enunciato relativo, ut sententiarum inter se oppositio, quam quaerimus, si subtilius indicare volueris, haec exstitura sit: *Etsi periculis etiam fortissimi moventur, tamen ne iis quidem compulsus — me adiungerem; etsi C. Caesar cum laude reprehendit Catonem, tamen ne ei quidem licuit.* Quam quidem orationis partium, quales a Cicerone et Plinio constitutae sint, esse inversionem facile concedo, non eam tamen ut particulam adversativam pro concessiva haberi velim. Quo nihil esse possit ineptius. Sic enim existimo, tamen particulam adiectam esse pronomini relativo, ut sententiarum inter se adversantium ratio universa appareret neque eo, utra utram restringeret, accurate significaretur, hoc autem si diligentius excutere studueris, sententiarum vices ita ut ostendi esse commutandas. Ceterum hoc addo, eiusmodi exempla non facile comparata esse posse nisi ita ut ne — quidem particulae in sententia aut primaria, uti supra vidimus, aut secundaria locum habeant. Nam ita etiam scribere licebit: *spectra timet, quibus tamen ne puerull quidem moventur* (cf. Etsi ne p. quidem spectris moventur, ille tamen ea timet).

c) Accedunt loci eiusmodi, in quibus concessio illa ex neutra orationis parte sed extrinsecus quodammodo repetenda sit. De qua ellipsi ante tamen particulam agnoscenda cf. Ramshorn Gramm. p. 886 sq.

tentia secundaria a quantum tamen aut quamdiu tamen formulis incipiat. Ii vero, quibus quot tamen (doch nur so viele als), qualis tamen (doch nur von der Beschaffenheit dass) similiave invenias, ni fallor, nulli sunt. Apud Orosium legitur in quantum tamen eique quod sit contrarium, in quantum non tamen. Addo quin tamen particulas eodem

---

Exempla haec sunt: Cic. Orat. II. 22, 91: *Fufius nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem — imitatur* (cf. etsi alia in eo nulla erant, nervos tamen habuit „die er denn doch hatte, was man auch sonst an ihm vermissen mochte). Rep. I. 3, 4: *ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissimum reddere* (cf. quae, quidquid repugnares, tamen —). Fin. II. 10, 31: *summum bonum et malum vagiens puer utra voluptate iudicabit? stante an movente? si stante —, si movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit* (cf. quod, quidquid infitiamini, tamen). p. Cluent. 7, 22: *flens petivit ut sibi restituerent eum filium, quem tamen unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset* (den denn doch das Schicksal — trotz seiner Grausamkeit — ihr gelassen hätte). Tac. Dialog. 23: *plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii, qui se antiquos oratores vocitant* (denn das ist doch, was sie auch dagegen reden mögen, das Einzige, was sie an Cicero nachahmungswerth finden). Quintil. I. 4, 9: *et nostrarum* (literarum) *ultima X, qua tamen carere potuimus, si non quaesissemus* (dessen wir denn doch, was man auch über seine Nothwendigkeit sagen mag, leicht hätten entbehren können, cf. Spald. not. crit. p. 63 f., qui ibi sine iusta causa offendit).

Atque haec quidem de universa particulae adversativae in eiusmodi exemplis vi et natura deque concessionis, cui illa respondeat, diversis exquirendi modis. Restat ut de nonnullis exemplorum generibus paulo accuratius disputemus. Primum enim sunt, in quibus qui tamen idem valeant quod qui certe tamen, quae quidem formula plenior nescio num ullo loco inveniatur. Virg. Aen. 4, 328: *si quis mihi parvulus aula luderet Aeneas, qui te tamen ore referret, non equidem omnino capta et deserta viderer* (der, wenn du auch selbst mir verloren bist, dich doch wenigstens deinen Gesichtszügen nach mir wiederbrächte; qui tamen aliquid haberet tui simile). Ex quo genere pars est exemplorum, quae supra tertio loco attulimus. Animadvertendum est autem, in tali sententiarum ratione relativi enunciati prope conceptam quandam formulam esse: *qui tamen aliquid* (h. e. qui certe tamen aliquid). Cic. d. imp. Pomp. 9, 26: *Hic in ipso illo malo gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus — partem militum dimisit, partem Glabrioni tradidit* (cf. qui incommodis iis, si non omnino, tamen aliqua ex parte mederi f. p.). Quintil. XI. 3, 67: *Nec mirum, si ista, quae tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent, cum pictura, tacens opus et habitus semper eiusdem, sic in intimos penetret affectus.* Caes. b. G. 1, 40: *Factum eius hostis periculum patrum memoria — Cimbris et Teutonis a C. Mario pulsis — factum etiam nuper in Italia servili tumultu, quos tamen aliquid usus ac disciplina, quae a nobis accepissent, sublevarent* (cf. qui licet usu et disciplina nobis pares non essent, tamen aliquid iis — sublevarentur, die denn doch Etwas wenigstens von Römischer Kriegszucht sich angeeignet hätten). Ceterum non plane supervacaneum est commemorare, in aliis enunciatis saepe aut certe tamen aliquid inveniri coniuncta ut Liv. XLI. 24, 14 aut eodem quidem sensu tamen aliquid, ut Cic. Div. in Caecil. 15, 48. p. Quintio 22, 71. Philipp. XI. 1, 1. Latini Pacati Paneg. 27 (eadem disiuncta habes Cic. Div. in Caecil. 15, 47. ad Attic. II. 15, 4. Cat. M. 18, 65), aut denique aliquid tamen, ut Cic. Orat. II. 14, 60. Senec. benef. I. 3, 5. Ac media illa formula saepius in transitionibus adhibetur ap. Lactantium, ut III. 18, 8: *Et hic tamen aliquam moriendi causam videtur habuisse, odium servitutis. Quid? Ambraciotes ille, qui —?* cf. id. I. 20, 37. II. 16, 8. Ad eandem formulam apud Ciceronem nonnullis locis fortasse particula accedit, aliis quidem verbis disiuncta, ut Tusc. III. 6, 13 d. imp. Pomp. 9, 26.

Deinde genus est exemplorum, in quo sententia relativa incipere soleat a verbis qui tamen ipse vel qui ipse tamen, quae, si illa est affirmans, idem valent quod et tamen is adeo, si negans, uti saepe, interpretanda sunt hoc modo: et tamen ne is quidem aut similiter. Cic. Off. II. 16, 56: *cum praesertim — ipsa illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus eaque a levissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis.* Lactant. VI. 25, 12: *Summus igitur colendi dei ritus est, ex ore iusti hominis ad deum directa laudatio, quae tamen ipsa ut deo sit accepta, et humilitate et timore et devotione maxima opus est.* Inverso ordine: Cic. Orat. I. 47, 205: *Nam nunc quibus studendum rebus esset accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum*

sensu quo qui non tamen apud Gellium inveniri cohaerentes, sed ita ut haec societas rem nostram minus attingat. N. A. Praef. 15: ***Quid tam remotum in literis est, quin id tamen complusculi sciant?*** (h. e. Nihil tam est remotum ut, quamvis remotum sit, non tamen — sciant.)

Coercens vis formulae agnoscenda est: Quintil. IX. 4, 85: ***in dimensione pedum syllaba, quae est brevis, insequente vel brevi alia, quae tamen duas primas consonantes habeat, sit longa.*** id. X. 1, 128: ***cuius — multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est.*** Lactant. III. 14, 4: ***sed ille*** (repertorem sapientiae) ***ut hominem laudavit, qui tamen ob id ipsum deberet pro deo haberi, quod sapere invenerit*** (h. e. sed eum, qui — sed talem, qui). id. VII. 26, 15: ***unus ex omnibus exstitisti, qui praecipua virtutis et sanctitatis exempla praeberes, quibus antiquorum principum gloriam, quos tamen fama inter bonos numerat, non modo aequares sed etiam praeterires*** (so weit sie — non omnes nimirum antiqui boni fuerant). Oros. 6, 20: ***restituendos per Caesarem omnes servos, qui tamen cognoscerent dominum suum, ceterosque, qui sine dominio invenirentur, morti supplicioque***

---

rerum rationemque cupimus cognoscere (cf. Etsi plura exspectavimus, tamen hoc etiam magnum est). Liv. XXXIV. 33, 10: ***Non enim Gythium, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset, sed Lacedaemonem, validissimam urbem viris armisque, oppugnaturos*** (cf. Etsi possidemus Gythium, tamen traditum, non expugnatum possidemus). Si accedit negatio aliqua, aut a formulis illis alia orationis parte disiuncta aut iis membri instar adnexa invenitur. Cic. Brut. 97, 333: ***nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi: quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit*** (h. e. et tamen ne eorum quidem). Quintil. V. 11, 40: ***Neque est ignobile exemplum, Megareos ab Atheniensibus, cum de Salamine contenderent, victos Homeri versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur*** (h. e. et tamen is ne reperitur quidem —; cf. etsi victi sunt, tamen —). Cf. Cic. Tusc. V. 37, 108: ***Quid T. Albucius? nonne animo aequissimo Athenis exsul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens Epicuri legibus paruisset*** (h. e. et tamen illud ei ne accidisset quidem, si — paruisset; cf. etsi animo aequissimo Athenis exsul ph., tamen —). Peculiaris est formulae conceptio Tac. Dialog. 8 f.: ***Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur tam hercule quam divitiae et opes.***

Ceterum nonnunquam verba et qui tamen ita accipienda sunt, quasi ipse et qui ipse ita, quasi tamen sit additum. Cic. Tusc. I. 20, 46: ***Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus, nec videmus nec audimus, ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens nisi id agat et adsit*** (h. e. et tamen iis ne mens quidem quidquam sentire potest nisi). Apul. d. Mag. p. 319: ***Tune, effeminatissime, tua manu cuiquam viro mortem minitaris? At qua tandem manu? Philomelae? an Medeae? an Clytemnestrae? quas tamen cum saltas (tanta mollitia animi, tanta formido ferri est) sine cludine saltas*** (h. e. et tamen ne has quidem saltas cum cludine). — Cic. Tusc. III. 21, 50: ***Ego sum is, qui dicam me non laborare, actum habiturum quod egerint. Quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipso cum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio unquam fuit*** (h. e. de quo tamen ipso, et tamen ne de hoc quidem). Off. III. 7, 33 (ibd. 14, 60: ipsis omittendum).

Nec praetereundum est ne illud quidem, eandem rationem, quae in hoc altero exemplorum genere inter sententiam primariam et secundariam intercedat, intercedere etiam saepe inter primarias duas. cf. Cic. N. D. I. 37, 102: ***At ipsi tamen pueri*** — Tusc. IV. 21, 48: ***quamquam in eis ipsis*** — Ubi etiam: ***qui tamen ipsi — in quibus tamen ipsis*** scribi licuit.

Ultimo loco exempla quaedam adiicimus, in quibus sententiae primariae relativa eademque adversativa quasi ***male laxus in pede calceus haeret.*** Quintil. X. 1, 99: ***In comoedia maxime claudicamus, licet — licet — licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur, quae tamen sunt in hoc genere elegantissima*** (h. e. Quamquam ea esse — concedo). Plin. ep. IV. 3, 4: ***Ita certe sum affectus ipse, cum Graeca epigrammata tua, cum iambos proxime legerem. Quam dulcia illa! quam antiqua! Callimachum me vel Herodem vel si quid his melius, tenere credebam, quorum tamen neuter utrumque aut absolvit aut attigit*** (h. e. quamquam eorum neuter —, freilich passt meine Aussage nicht ganz, da keiner von beiden —). cf. id. V. 21, 6. — Liv. XXXIV. 5, 2. Eiusmodi exempla num trium eorum generum, a quibus profecti sumus, medio attribuam an in iis sententiae relativae vim coecentem agnoscam, satis mihi non constat.

dedendos. Apul. Met. XI. p. 237: *quippe eum transactis vitae temporibus iam in ipso finitae lucis limine constitutos, queis tamen tuto possint magna religionis committi silentia, numen deae soleat eligere.* Lucret. 3, 1013: *Hoc est adverso nixantem trudere monte saxum, quod tamen a summo iam vertice rursum volvitur* (h. e. tale tamen quod — sive: ita tamen ut — volvatur).

Columell. 4, 30: *Perticae cacuminum modicae plenitudinis, quae tamen dipondiarii orbiculi crassitudinem non excedant, optime panguntur eo usque dum ad solidum demittantur.* Lucret. 3, 1021: *puellas quod memorant laticem pertusum congerere in vas, quod tamen expleri nulla ratione potestur.*

Sunt loci Quintilianei, ubi eiusmodi sententiae relativae additam videamus aut conditionalem aut consecutivam, quae dicitur. Quos locos ita iudicare licet, ut relationem illam merae inservire periphrasi dicamus. Pro enuntiatione enim relativa facile etiam ita tamen particulae admitti potuerunt, ut exsisterent formulae satis notae, quae sunt ita tamen si et ita tamen ut. Ex illo genere sunt Quint. IV. 3, 5: *si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam velut spiritu erumpente protinus indignatione, quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit.* id. IX. 2, 30: *His et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus: quae tamen ita demum a fide non abhorreant, si ea locutos finxerimus, quae cogitasse eos non sit absurdum* (h. e. sed ita demum, si —). Ex hoc: id. XI. 1, 22: *Neque hoc dico, non aliquando de rebus a se gestis oratori esse dicendum, sicut eidem Demostheni pro Ctesiphonte* (h. e. dicendum fuit), *quod tamen ita emendavit ut necessitatem id faciendi ostenderet.*

Lampridii exemplum Heliog. 29 f.: quamdiu tamen — (h. e. non ultra tamen quam dum) iam supra (§. 22) attulimus.

Plin. ep. II. 18, 3: *Cum omnes, qui profitentur* (h. e. magistros) *audiero quid de quoque sentiam, scribam efficiamque, quantum tamen epistola consequi potero, ut ipse omnes audisse videaris.*

Oros. VII. 27: *Nam ut etiam ipsas inter se plagas, in quantum tamen figura formae comparari potest, conferam.*

id. VII. 6: *plenissima felicitate* (Roma) *perfruitur, in quantum non tamen blasphemiarum offendiculis depravatur.*

b) Modo adiicitur.

44. Adiecta hac particula formulae exsistunt dummodo, si modo, qui modo, quantum modo, quibus aliae addi posse, sive ad materiam a nobis tractatam pertinentes sive ab ea excludendae, non videntur. Quatuor autem illae huc referendae sunt.

Num quinta sit: ut modo, ignoramus. Apud Plautum legitur Asin. II. 2, 8: *aetatem velim servire, Libanum ut conveniam modo;* cuius tamen loci eadem est ratio et quam supra in formula modo ut vidimus (cf. Not. 5). Sensus est: *nihil aliud opto quam ut Libanum conveniam, quod ut assequar, vel aetatem (vel per totam vitam) servire velim.*

45. 1. Iis quae Handius II. 327 de formula vel, si mavis, particula dummodo disputavit, nihil adiiciendum videtur nisi haec: primum mirum videri quod ea ubique ita usurpetur ut conditionem necessariam habeat inclusam, non ut temporis ratio habenda sit. Eam autem intelligi volo rationem, qua illa aut idem significet quod sed per id modo temporis spatium, per quod (sed tam diu modo quam) aut idem quod sed usque ad id modo tempus, quo (sed non diutius quam). Deinde addenda est Sulpicii Severi formula dummodo ut nihil aliud quidem quam simplex illa significans.

Sulp. Sev. Dialog. III. 15 p. 578: *Spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo ut et tribuni iam in excidium ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur.* cf. dum ut ap. Cicer. (§. 60.)

2. Ad supplenda ea, quae apud Handium III. 632 de formula usitatissima, quae est 46.
si modo, dicta inveniuntur, haec addimus. Primum generalis est quaedam regula ad omnia quidem tempora pertinens, qua illa consocietur cum indicativo. Coniunctivus, meliorum auctorum usum si spectas, non additur nisi eum aut superioris sententiae ratione et structura postulante aut ad demonstrandum, in conditione simul inesse id, quod optetur. Quod alterum tamen raro fit, non saepe, ut ille ait. Deinde sententia eiusmodi conditionalis aut adhaerescere primariae aut interponi solet, a Petronio tamen etiam, in poemate quidem, praemittitur. Tum Valerii Maximi et Senecae formula, quae est *si quis modo*, excepta, particulas disiungendi mos plane nullus videtur fuisse. Inter reliquas autem quas esse in usu formulas videmus principatum quendam tenet Ciceroniana illa: *si modo est*. Deteriore et auctoritate et vero rariores sunt *si modo et ac si modo non*. Addo etiam *fortasse* particulam eiusmodi sententiae conditionali adiectam inveniri, non ita tamen, quod sciam, ut cum duabus, quas quaerimus, in unum coaluerit. Notionem quidem illius eam esse, ut ad ipsam conditionis vim pertineat, facile est intellectu. Praeterea maxime memorabilis videtur is usus formulae, quo cum illa, quae est *si tamen*, convenit; quo quidem usu, cum in primario enunciato directe quid positum sit, in conditionali eaque adhaerente id addubitetur. (§. 41.) Minus multo memorabilia illa sunt, praesertim quae vix singulis singula probari exemplis possint, primum apud Ciceronem in adversariorum colloquio responsum simul et affirmans et affirmationem restringens induci verbis: *Certe, si modo* —, quibus quidem saepius ab eodem ita usurpantur: *Certe, si* —, alio loco (§. 62) nobis illustranda, deinde apud Arnobium sententiam conditionalem eandemque *modo* particulae ope coercentem imperativo etiam adiunctam inveniri, ut, qui imperet, fieri quid velit sed ita ut certa quadam ratione fiat. Non memini tale quid legi apud melioris notae scriptores. Ultimo loco illud commemoramus, quamquam id quidem, ut aiunt, extra calcem decurrit, ab eodem Arnobio *ita — si modo* inter se opponi, quam ille particularum rationem item singularem atque unigenam videtur procreasse.

Exemplis ab Handio l. c. allatis alia addimus eaque temporum ratione digesta.

Ac saepissime quidem praesens formulam subsequitur, ut Cic. Orat. Part. 1, 1: *Studeo, mi pater, latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione dicendi graece tradidisti, si modo tibi est otium et si vis*, id. d. Univers. 11. Senec. ad Polyb. 21, 2. 26, 2. Val. Max. IV. 6, 3. Quintil. X. 7, 15. Petron. Arb. 43 p. 171. Dictys Cret. 2, 21. Arnob. I. p. 17. II. p. 66. VI. p. 189 (ter). Lugd. Bat. Deinde Cic. Rep. I. 34, 51: *deligetque, si modo salvus esse vult, optimum quemque.* Orat. III. 31, 122: *Nostra est enim (si modo nos oratores sumus —) nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio.* Gaii Inst. II. 19, 52.

Cum imperfecto iungitur: Cic. p. Quint. 21, 68: *Qualis is fuerit, si modo absentem defendebat per ius et per magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere.*

Cum perfecto: Cic. Off. III. 8, 37: *satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare — esse faciendum.* id. ad Attic. V. 17, 1.

Cum plusquamperfecto: Cod. Iustin. II. 23, 6: *heres, qui semel adierat hereditatem, si modo sua voluntate adierat, — universa onera hereditaria sustinebat.*

Vulgaris est formulae cum futuro primo societas. Cic. p. Sestio 2, 5: *contendam, si modo id consequi potero, ut in hac defensione nihil a me — praetermissum esse videatur.* Alia eiusmodi exempla Handius l. c. affert.

Non minus vulgaris cum futuro secundo, ut Cic. ad Attic. XII. 44, 3: *Contudi enim animum et fortasse vici, si modo permansero.* Plin. ep. II. 20, 14. 5, 9. I. 24, 3. Cod. Iustin. I. 6, 1. II. 1, 31. 17, 6.

Deinde coniunctivum additum vides constructionis causa: Caes. b. Gall. 5, 31: ***facilem esse rem, si modo unum omnes sentiant ac probent.*** Cic. Off. I. 15, 48. Milon. 33, 90. Liv. XXXIV. 27, 7. Plin. ep. I. 20, 5 (bis). V. 8, 5. Val. Max. IV. 7, 1. Arnob. II. p. 65. Lugd. Bat.

Coniunctivi ita positi, ut eo id, puod optetur, simul elatum videamus, exempla sunt: Augustin. d. civit. dei 3, 9: ***Illi vero homini pro tanto otio gratulandum fuit, si modo id rebus salubribus scisset impendere.*** Arnob. III. p. 103: ***Neque aspernamur, quocunque invitaveritis, accedere, si modo discamus, quinam isti sint divi, quos nobis ingeritis.*** Addi licet nonnullos meliorum quidem scriptorum ex genere superiore locos, nisi quod in iis tenendum est altera illa coniunctivi ratione hanc alteram praeponderari.

Neutra causa est cur coniunctivum formulae subiunxerit Gaius in Inst. II. 43. 147. 257. III. 93. 161.

De collocatione sententiae conditionalis, quoniam non modo adhaerentis eius sed etiam interpositae exempla passim allata sunt, unum addam illud, quod dixi, Petronii Arbitri (poem.) c. 81 p. 276: ***si modo vera mihi fas est impune profari, vota tibi cedent.***

Transeamus ad formulas pleniores:

Val. Max. IV. 6, 3: ***Nec dubito quin, si quis modo exstinctis sensus inest, Plautius et Orestilla fati consortione gestientes vultus tenebris intulerint.*** Senec. ad Polyb. 26, 2: ***intelliges non magis tibi incurvari licere quam illi, si quis modo est fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur.***

Cic. Orat. II. 38, 157: ***si modo est*** — id. Divin. I. 1, 1. ep. ad Brut. I. 3 init. Tusc. II. 14, 33. V. 1, 4. Similiter id. ad Fam. IX. 14, 4: ***si modo sunt*** — id. N. D. II. 31, 78. Quintil. X. 7, 15.

Plin. ep. X. 92: ***Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem, si modo et viribus suis ipsa id assequi potest.***

id. ep. I. 22, 9: ***Dandum enim precibus uxoris, dandum filiae lacrimis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent inanes, voluntaria morte desereret.*** Similiter disiunctis formulae partibus id. III. 15, 3: ***Videor autem iam nunc posse rescribere, esse opus pulchrum nec supprimendum, quantum aestimare licuit ex iis, quae me praesente recitasti, si modo mihi non imposuit recitatio tua; legis enim suavissime.***

id. ep. I. 2, 5: ***confitebor et ipsum me et contubernales ab editione non abhorrere, si modo tu fortasse errori nostro album calculum adieceris.***

Exempla sententiae conditionalis cum dubitatione ea, quam dixi, primariam coercentis haec sunt: Cic. Off. I. 44, 155: ***nosque ipsi, quidquid ad rempublicam attulimus, si modo aliquid attulimus, a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus.*** Plin. ep. I. 2, 3: ***quod me longae desidiae indormientem excitavit, si modo is sum ego, qui excitari possim*** (brevius: ***si modo excitari possum***). Ovid. ex Ponto IV. 12, 45: ***Quin mandem, quaeris? peream, nisi dicere vix est, si modo, qui periit, ille perire potest.***

Repetitionem hac in re necessariam (cf. si tamen §. 41) minus accurate factam videmus Plin. ep. III. 1, 1: ***neminem magis in senectute, si modo senescere datum est, aemulari velim.***

Id quidem, quod nomine substantivo in sententia primaria posito continetur, dubitationem illam saepissime afferre solet eoque nimirum saepissime nomen repetitum inveniri in conditionali, ut Cic. Orat. II. 38, 157: ***In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quomodo verum inveniatur.*** Perraro ibi desideratur, ut N. D. II. 31, 78, quem locum infra exscriptum videbis. Quamquam fieri repetitionem non eo dicere licet quod omissa ea obscurior exsistere oratio videatur. Haec enim ratio non potest nisi locis paucissimis valuisse, uti Cic. Philipp. II. 16, 39: ***homines quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur.*** Quod contra longe plurimis repetitio non nisi ad conditionis gravitatem augendam facta est.

Deinde de re eadem haec addenda censeo. Primum ut supra in Cic. Off. I. 44, 155: ***quidquid ad rempublicam attulimus, si modo aliquid attulimus*** — pronomen indefinitum formulae adiectum vidimus, ita id cum nomine repetito solet coniungi. Cic. ep. ad Brut. I. 3 init.: ***Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria.*** Tusc. II. 14, 33: ***Non ego dolorem dolorem esse nego sed eum opprimi dico patientia, si modo est aliqua patientia.*** In quo illud moneo, plane

insolenter hos duos locos constitutos esse Ciceronianos: ep. ad Fam. IX. 14, 4: ***Quamquam, mi Dolabella, libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim quam aliquam partem exhauserim ex tuis,*** ubi substantivum in sententia primaria omissum est, et ep. ad Attic. XIII. 19, 5: ***quae diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis,*** ubi in nominis locum in sententia secundaria repetendi pronomen demonstrativum videmus successisse. Quae successio cum per se probabilis sit (cf. si modo is Plin. ep. I. 2, 3. si modo id Cic. p. Sestio 2, 5. Senec. ad Polyb. 21, 2. Augustin. de civit. dei 3, 9) tamen propter pronomen indefinitum improbandam eam esse apparet. Nam illius quidem loci notissimi Cic. p. Ligar. 7, 22 f.: ***Atque is tamen aliquis*** — ratio plane est alia.

Deinde loci sunt, ubi dubitationem conditionali enunciato exhibitam relativo ei adhaerente aut tolli videamus, ut Cic. N. D. II. 31, 78: ***Atqui necesse est, cum sint dii, si modo sunt, ut profecto sunt, animantes esse,*** aut etiam firmari. cf. Petron. Arb. 43 p. 171: ***Poeta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.***

Tum dubitationem illam facile negationis instar habendam esse aut certe eo inclinare censebis, si in sententia conditionali pronominis indefiniti loco ullus voculam inveneris. Atque hanc quidem opinionem, ut naturae illius consentanea est, ita etiam huius generis firmari exemplis constat. Cic. Divin. I. 1, 1: ***Magnifica quaedam res et salutaris*** (divinatio est), ***si modo est ulla.*** Arnob. IV. p. 133: ***Atquin videte, ne, dum talia confingitis monstra, deos offenderitis certissimos, si modo sunt ulli, qui istius nominis mereantur sustinere fastigium.*** cf. id. IV. p. 150: ***si modo ullus deorum esset apud vos metus.*** Repugnat tamen Ciceronis locus Tusc. V. 1, 4: ***Sed in hoc me ipse castigo quod — non ex ista ipsa virtute de virtutis robore existimo. Illa enim, si modo est ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit, omnia subter se habet.***

Restat ut ex generibus singulis, quae supra attigimus, singula quae praesto sunt, exempla afferantur:

Cic. Legg. II. 6, 14: ***Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae nunquam abrogentur. M. Certe, si modo acceptae a vobis duobus erunt.***

Arnob. VI. p. 200: ***Discutite aliquando caliginem regressique ad lumen mentis intuemini propius et videte istud, quod agitur, quale sit: si modo retinetis ius vestrum atque in finibus vobis datae rationis consiliique versamini*** (h. e. sed ita ut retineatis —), quocum loco eiusdem scriptoris, ille, quem modo exscripsi (IV. p. 133), minime congruit. Illic enim videte ne offenderitis idem valent, quod certum est vos offendere.

cf. id. III. p. 101: ***Et hoc quidem a nobis fuerit ita prolutum, si modo liquet praeter ipsum regem esse alia etiamnum capita, quae velut quendam populum plebeiae multitudinis faciant.***

3. Qui modo formulae vim ut exquiramus, id ea proprium habet ut, quae res primario enunciato continetur, non eam coercere solum sed intra fines certo quodam modo constitutos quam maxime etiam extendere videatur. Cf. Tursell. III. 631. Ex quo Alschefskius Livii verba XXII. 2, 5: *primi, qua modo praeirent duces — sequebantur,* recte interpretatus est: *quacunque via et dummodo praeirent* (cf. quimodo cunque Ovid. Amor. II. 14, 40. quisquis modo Senec. ad Helviam 9, 8 al.). Atque haec notionum duarum una in formula coniunctio eo etiam demonstrari videtur, quod in sententia primaria aut omnes aut nemo aut simile verbum praecedere solet, quo illa pertineat. Quod tamen idem ille discrimen esse dicit inter indicativum et coniunctivum cum formula iunctos, me quidem iudice, nullum est. Nec vero, ut hoc moneam, si in eiusmodi sententiis pronomen indefinitum habere locum debet, utrum ibi ponatur aliquis an quisquam, multum videtur interesse. Addo, si negans sit sententia, incipere eam solere a verbis qui modo non nec esse exempla videri, in quibus particulae illius loco simplicem et directam negationem significantis ad cautionem quandam designandam ne posita inveniatur. 47.

Quantum modo et in quantum modo, quae formulae ad illius, quam diximus, similitudinem proxime accedunt, apud Senecam philosophum, sed raro leguntur. Num quot modo (so viel nur —, aber auch nicht mehr) aut qualis modo aut quoad modo aut quae sunt generis eiusdem, alicubi reperiantur, dubito.

Locis ab Handio exscriptis paucos adiecisse satis erit. Cic. p. Deiot. 6, 16: *Cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est?* id. p. Marcell. 10, 32: *restat ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae sed etiam sanitatis.* Gaii Inst. II. 156.

Deinde coniunctivo subsequente: Senec. ad Polyb. 36, 3: *virtus in medio posita est, neminem dedignatur, qui modo dignum se illa iudicet.* Quintil. XII. 10, 75: *Ubi vero quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecunque id, quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationem.* id. IX. 2, 67: *Quamlibet enim apertum, quod modo et aliter intelligi possit, in illos tyrannos bene dixeris.* Quibus quidem exemplis per se apparet talia adiici non posse, quale est Cic. ad Attic. I. 16, 13: *Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere.*

Addamus ea, ex quibus pronominum indefinitorum ratio, quam supra diximus, eluceat. Cic. p. Marcell. l. c.: *omnes, qui modo habent aliquid — sanitatis.* Tusc. V. 23, 66: *Quis est omnium, qui modo cum Musis — habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit quam illum tyrannum?* Deinde Liv. XXXIII. 3, 4: *emeritis quidam stipendiis, quibus modo quidquam reliqui roboris erat, ad signa revocabantur* (cf. dummodo ne iis nihil roboris esset). Similiter Cic. p. Flacco 27, 64: *Quamquam quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Graecorum genera sint vere?*

Si negans est sententia relativa, rei finitio magis quam intra fines quam maxima extentio, qnam dixi, spectanda videtur. Liv. X. 24, 10: *Omnes ante se consules sortitos provincias esse, nunc extra sortem Fabio senatum provinciam dare. Si honoris eius causa, ita eum de se deque republica meritum esse ut faveat Q. Fabii gloriae, quae modo non sua contumelia splendeat* (h. e. sed ei, quae non, sive: dummodo ne ea). Quintil. V. 14, 34: *At, si maior erit materia, nullum ornatum iis, qui modo non obscuret, subtrahendum puto.* Separata quidem negatione: Cic. Tusc. V. 34, 98: *Atque hoc etiam ex bestiis intelligi potest, quae, ut quidquid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.* Quintil. I. 2, 30. Ceterum nemo est, qui non sentiat hos locos esse eiusmodi ut cautio iis exhibenda tantum non exspectetur. Non tamen qui modo ne similiave videntur occurrere.

Senec. ad Helv. 9, 5: *Marcellum Mitylenis exsulantem et, quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem.* id. ad Polyb. 36, 2: *Debes illorum imitari firmitatem in perferendis et evincendis doloribus et, in quantum modo homini fas est, per divina ire vestigia.*

c) Quidem adiicitur.

48. Quibuscum modo particulam et coniunctionibus et relativis societatem inire vidimus, cum iisdem illis quidem init, nisi quod eam paucis locis etiam ut vocula adnexam habet. Ita existunt formulae dum quidem —, si quidem —, ut quidem —, qui quidem —, quantum quidem.

Quod ex neutro genere plures nobis notae sunt, mirum videri potest; nam coniunctionibus certe aliis nonnullis quidem particulam adiungi solitam esse constat. cf. cum quidem (temporis rationi inserviens) Cic. Pison. 9, 21. 34, 84. Fam. X. 32, 3. Nep. Hannib. 2, 6. Fronto ep. ad amicos I. 21. Sulp. Sever. Dialog. II. p. 550 Quibus locis etsi dissimilis est ille Nepotis Cat. 2, 2: *Neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia sed iure respublica administrabatur;* tamen ne is quidem huc pertinet, cum ibi duobus periodi membris non nisi opponi inter se duas sententias primariam et secundariam, non alteram illam altera coerceri appareat (cf. et tamen — obtinebat; etsi — obtinebat, — tamen non potuit). Quando quidem Lucret. III. 458. 556. Cic. Brut. 44, 163. Liv. VIII. 33, 7. Ubi

quidem Liv. XXVI. 26, 7. Postquam quidem Plaut. Bacch. II. 3, 36. Quoniam quidem Cic. p. Rosc. Amer. 11, 31. Verr. II. 1. 22, 60. Fam. XII. 14, 2. Pison. 26, 63. Tusc. III. 27, 66. Senec. ad Helv. 12, 3. ad Polyb. 36, 6. Tac. dialog. 32 f. Val. Max. II. 7, 9 f. et 15. III. 2, 12. Nec formula, quae est quamquam quidem Cic. Legg. II. 6, 14 huc referenda videtur, cuius vis est concedens potius et corrigens (wiewol freilich) quam coercens. Ceterum quos locos supra indicavi, ita ex parte constituti sunt ut ibi enunciata a formulis illis incipientia ne adhaerescant quidem primario sed protasis loco antecedant.

1. Dum quidem duobus modis usurpatur, ut et conditioni necessariae et temporis rationi inserviat indicandae. In quo tamen illud monendum est, ex altero hoc genere locos eos, quibus idem valeat quod usque ad id quidem tempus, quo, non inveniri, imo omnes esse eiusmodi ut significet: per tam longum quidem tempus quam —. Ceterum non comicorum est modo, ut Handius II. 317 censet, sed etiam Ciceronis. De altero genere, quod idem ille II. p. 326 commemorat, haec addenda sunt, loco citato exemplis probata illa quidem, non tamen, quasi peculiare quid et insigne haberent, ut habent, separatim indicata. Sunt autem duo, quorum utrumque ad comicorum usum pertinet. Primum illi pleniore etiam formula eaque pathetica utuntur, quae est dum quidem hercle. Deinde apud eosdem colloquii partes inter personas duas ita inveniuntur distributae, ut quae ab altera dicta sint, ab altera coerceantur sententia conditionali. Quod si est, apparet nimirum, non eam alterius orationi ipsi, sed sententiae primariae alicui ex illa oratione eliciendae animoque et cogitatione constituendae adhaerescere. Solet autem eiusmodi sententia conditionalis negans esse ad eamque inducendam adhiberi formulam dum quidem ne — vel dum quidem hercle ne —. 49.

Exemplum, quo simplicioris formulae usus ille ad temporis pertinens rationem probetur, apud Ciceronem hoc unum certe quidem invenitur. Paradox. V. 1, 33: *tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator sed liber habendus omnino non erit.* Ubi quod sententia secundaria primariam coercens antecedit, orationis contextu effectum est nec eo est quod quis offendat.

Plaut. Stich. IV. 1, 46: *Tum senex ille, quasi ego. Si vis, inquit, quatuor sane dato, dum quidem hercle, quod edant, addas, meum ne contruncent cibum* (cf. Ritschl); ibd. V. 4, 4: *St. Quisquis praetereat, comissatum volo vocari. S. Convenenit, dum quidem hercle quisque veniat cum vino suo.*

Hic locus alter ita etiam constitui potuit, ut Sagarinus, omisso verbo primo, conditionali sententia acquiesceret. Negantium quidem usus sententiarum, qualem supra descripsi, haec sunt exempla: Plaut. Mercat. II, 3, 86: *D. Me tibi illam posse opinor luculente vendere. — Ch. Dum quidem hercle ne minoris vendas quam ego emi, pater* (h. e. Convenit, dum quidem h. ne, sive: Vende, d. q. h. n.). id. Aulul. II. 2, 33: *Meg. Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui. — Eud. Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat proloqui* (h. e. Percontare, dum quidem ne).

2. Enunciata a verbis si quidem incipientia coercendi munus habere non possunt, nisi iis contineatur conditio. Causam enim si exhibent, uti solet, sententiae primariae vulgarem in modum illustrandae, non coartandae inserviunt. In dialogo quidem idem huius formulae usus est et esse vidimus superioris. Alteri enim alter ab ea proficiscens ita respondet ut ex illius verbis sententia primaria, ad quam pertineat conditionalis, audienda sit. Quod tamen responsum etiam tale esse potest, non ut coercendae modo ei rei, quam alter protulerit, sed plane reiiciendae redditum videatur. Atque haec quidem ipsa formulae vis est cum ironia quadam in subiectione adhibitae. Postremo hoc addimus, raro fieri, ut eiusmodi sententia conditionalis ad primariae partem aliquam cum ea dubitatione referatur, qua referri saepe vidimus illam, si verbis vel si tamen — vel si modo induceretur (cf. §§. 41 et 46). 50.

Cic. p. Sestio 38, 81: *Cuius igitur mortem ulcisceremini, si quidem liberi esse et habere rempublicam cogitaretis: de eius virtute vivi quid vos — iudicare oporteat, dubitandum putatis?*

p. Plancio 8, 21: *Deinde tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci, si quidem cum Atinatibus conferantur.* Catil. II. 4, 7: *o fortunatam rempublicam, si quidem hanc sentinam huius urbis eiecerit!* Off. I. 21, 72. Divin. I. 6, 10 all. Ovid. Fast. 4, 603. Terent. Andr. III. 1, 7: *Quid ego audio? actum est, si quidem haec vera praedicat.*

Terent. Adelph. V. 9, 22: *Mi. Syre, processisti hodie pulchre. — De. Si quidem porro, Micio, tu tuum officium facies atque huic aliquid paulum prae manu dederis, unde utatur* (h. e. processit pulchre, si quidem —). Cic. Tusc. III. 31, 76: *ut Prometheus ille Aeschyli; cui cum dictum esset: »Atqui, Prometheu, te hoc tenere existumo, mederi posse rationem iracundiae«, respondet: »Si quidem qui tempestivam medicinam admovens non ad gravescens volnus illidat manus* (h. e. mederi potest, si quidem — sive: sed ita, si —).

Senec. Agam. 304: *Aeg. Nil moror iussu tuo aperire ferro pectus aerumnis grave. — Clyt. si quidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam* (h. e. Aperies, si quidem —). Cic. Fin. III. 4, 13: *Istud quidem, inquam, optime dicis, sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tollerem, sed relinquo.*

Similiter atque ultimo hoc loco coniunctivus vel imperfecti vel plusquamperfecti adhibetur in subiectione, qua scilicet rem modo quasi ab adversario commemoratam non esse, quod non sint ea, quae conditio contineat, significatur. Cic. Tusc. II. 17, 39: *Abducet Patrocles, credo, ut collocet in cubili, ut vulnus obliget. Si quidem homo esset. Sed nihil vidi minus.* id. p. Milone 18, 48: *Nam occurrit illud: Igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus. Si quidem exiturus ad caedem e villa non fuisset* (h. e. Certe, nisi —, Ja, hätte er nur nicht —).

Ovid. Amor. III. 7, 17: *quae mihi ventura est, si quidem ventura, senectus, cum —?* Cic. in Pison. 35, 86: *Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? si quidem potest vi et metu extortum honorarium nominari.* Verr. III. 47, 113: *quae erat ratio decumani, si quidem decumae ac non bona venibant aratorum, ut pluribus aliquanto medimnis decumas emeret quam iugera erant sata?*

51. 3. Ut quidem formulae usus et rarus est nec nisi eiusmodi, ut prior illa particula idem valeat quod quemadmodum. In quo tamen mirum esse debet, quod quemadmodum quidem coniuncta nec eo sensu, quem quaerimus, nec alio aliquo inveniri videantur, excepto, quod sciam, loco uno, cuius tamen de constitutione dubitandum est. Nec vero alia adverbia relativa appendicem illam secum habere solent, praesertim quae tali colligatione aucta maiore quodam iure huc referri velle videantur. Non facile igitur quo quidem, ubi quidem, unde quidem, quoad quidem similiave invenies, cum vi illa sententiam primariam coercente. Aliena est etiam ratio iurisconsultorum usus illius, quo quamdiu quidem — cum vero inter se opponuntur.

Liv. XL. 35, 13: *Paucae civitates, ut quidem ego audio —, in ius ditionemque venerunt.* Cic. Off. III. 26, 97: *Utile videbatur Ulixi, ut quidem poetae tragici prodiderunt —; nam apud Homerum optimum auctorem talis de Ulixe nulla suspicio est.*

Ab hoc usu si discedimus, ut id perstringam certe, quod minus huc pertineat, tribus modis formulam illam inveni usurpatam, primum ita ut temporis rationi serviret (als freilich). Liv. XL. 37, 6, deinde ita ut finem significaret (damit freilich). Senec. benef. VII. 19, 1. Liv. IX. 11, 9 Alschf. (*ut tu quidem* Drakb.) Tertium est illud quod Seneca in consol. ad Polyb. 37, 4 enunciatum a formula hac incipiens obiecti locum tenere voluit (*ut quidem — patiatur, nec sperandum nec concupiscendum est*).

In oratione nonnullorum sententia a Cicerone abiudicanda, quae est ad Quirites post reditum 9, 22, legitur: *quamquam mihi maiori curae est, quemadmodum [quidem] vobis gratiam referam quam quemadmodum inimicorum iniurias persequar.* Quae lectio ne si probanda quidem esset, locus ad rem nostram pertineret. Alii autem ei aliter aut transponenda enclitica (*quamquam mihi quidem* — Lamb.) aut plane omittenda cum mederi studuerint, aptissimum videtur scribi: *Quamquam quidem mihi* — cf. Cic. Legg. II. 6, 14: *Quamquam quidem illi* —.

Gaii Inst. I. 161: ***sed si qua per adoptionem soror mihi esse coeperit, quamdiu quidem constat adoptio, sane inter me et eam nuptiae non possunt consistere; cum vero per emancipationem adoptio dissoluta sit, potero eam uxorem ducere.*** id. II. 137: ***Qua ratione accidit ut ex diverso quod ad naturalem parentem pertinet, quamdiu quidem sint in adoptiva familia, extraneorum numero habeantur, cum vero emancipati fuerint ab adoptivo patre, tunc incipiant*** — cf. Cod. Iustin. I. 10, 2. II. 13, 4.

4. Vulgaris est quidem particulae ad pronomen relativum adiectio, id spectans, ut, 52.
quae res in enunciato primario ita commemorata sit quasi ea toto genere esset intelligenda, eius speciem modo quandam intelligi appareat. Quodcum eiusmodi sententiae relativae per utrumque verbi modum et indicativum et coniuntivum efferri soleant, ad demonstrandum, quid inter eos discriminis intercederet, Madvigius ad Sestianam §. 140 aliique nonnulla attulerunt, quae mihi nec plana satis videntur esse nec, quantum ego perspicio, vera. Sunt autem ad modorum duorum rationem dignoscendam, nisi omnia me fallunt, duae interpretandi formulam, quae est qui quidem, viae ineundae, quarum altera directa dici potest, altera cum anfractu quodam comparari. Quas quidem priusquam monstremus, id monendum est, quod supra de transitu quodam a genere ad speciem diximus, inde in interpretatione utraque et proficiscendum esse et eo redeundum. ***Hinc omne principium, huc refer exitum.*** Altera igitur via ea est, qua qui quidem formula idem valeat quod qui eorum —. Exemplum hoc: ***adortus est Ligures, qui quidem circa Macram fluvium incolebant.*** Livius XL. 41, 3 scripsit: ***qui eorum — incolebant*** (cf. §. 65). Vides ita transiri a genere ad speciem, ut rei in sententia primaria generaliter commemoratae certa quaedam pars directe et simpliciter definiatur secundaria. Ad quam rem designandam aptus videri debuit indicativus. Nec quidquam refert utrum pronomen ad pluralem numerum respiciat, ut in exemplo, quod attuli, an ad singularem. Hic enim etiam quodammodo pluraliter dictus videri potest. Exemplum hoc est: ***Tum ex quavis concione, quae quidem vera erat, populi Romani consensus perspici potuit*** h. e. quae concionum vera erat, ex ea — perspici potuit (ex omnibus concionibus, quae earum —). Altera interpretandi via, quem supra anfractum intelligi voluimus, ea est ut qui quidem idem valeant vel quod: talis quidem ut, sed talis ut, vel quod: ita quidem ut, sed ita ut. Findi igitur rursus haec via in duas videtur, ita illas quidem separandas, ut prior interpretatio amplectenda sit, si pronomen ad sententiae primariae nomen aliquod negans idemque aut subiectum aut obiectum, quod dicitur, ut nemo, nullus, nihil similiaque aut ad interrogativum ibi eodem fere sensu positum referatur, altera, si pertineat ad sententiae primariae praedicatum, quod appellatur. Exempla haec sunt: ***Nemo, qui quidem auctoritatis quid haberet, contra dixit*** h. e. Nemo, talis quidem ut — haberet, Nemo, sed talis (sed eum intelligi volo qui fuerit talis) ut — haberet. Deinde: ***Pericles oratorum antiquissimus fuit, qui quidem scripta reliquerit*** h. e. ita quidem antiquissimus ut — reliquerit. Atque haec quidem, quae dixi, ad causas explicandas videbantur necessaria, cur in enunciatis formula qui quidem inductis iisque sententiae primariae aliquo modo coercendae inservientibus et indicativus et coniunctivus positus inveniretur. Addendum est, id genus, quod secundo loco attulimus, tale esse, ut in eo indicativum adhiberi non liceat, alterum autem illud tale, ut in sententiis connectendis si animo et cogitatione anfractu potius quam recta via uti malueris, pro indicativo facile etiam coniunctivus admitti possit. Nam ut ad exemplum redeamus, quod primum posuimus, licuit ibi ***Ligures, qui quidem — incolerent*** eo sensu scribi ut esset: ***tales quidem ut — incolerent,*** sive ***sed tales ut — incolerent.***

Quantum quidem si inveniuntur coniuncta, quod raro fit, ad coercendam totam sententiam primariam, non nomen eius solum conferunt. Subsequitur indicativus (cf. §. 66).

Cic. Tusc. II. 2, 5: *hortor omnes ut huius quoque generis laudem tam languenti Graeciae eripiant et perferunt in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, maiores nostri transtulerunt* (h. e. reliquas omnes, quae earum — sive: quae ex reliquis). id. ad Attic. VII. 2, 3: *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam alia iucundiorem, quae quidem erant tua manu* (h. e. quae earum; sed eas modo, quae earum —).

id. Brut. 7, 27: *ante Periclem litera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat* (h. e. talis quidem ut).

id. Orat. II. 22, 93: *Antiquissimi sunt* (oratores), *quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades* (h. e. ita quidem antiquissimi ut). Dialogi ratio effecit ut ordo sententiarum inverteretur: id. Legg. I. 20, 53: *Att. Ain tandem? una de re est solum dissensio? M. Quae quidem ad rem pertineat, una.* Ubi Attici oratio quin falso apud Orellium sit constituta, dubitari non potest. Alterius enim verba ita supplenda sunt: *Quae quidem ad rem pertineat, una dissensio est* (non *una res est*, quod ineptum). Scribendum igitur illic erit aut: *unane est solum dissensio?* aut: *una est solum dissensio?* quarum utraque lectio habuit defensores. Ceterum formula et ad subiectum referri poterit *(dissensio, quae quidem* — h. e. talis quidem ut —, sed talem modo intelligi volo ut) et, quod magis placet, ad praedicatum *(diss. una est, ita quidem una ut, sed ita una ut —)*.

De loco Ciceroniano p. Sest. 67, 140: *unus in hac civitate, quem quidem ego possim dicere, L. Opimius indignissime concidit,* Madvigium recte censeo iudicasse, quod coniunctivum restitui voluit. Metiendus est enim loco superiore, ut sensus hic sit: *L. Opimius unus est, quem quidem ego possim dicere, qui indignissime conciderit* h. e. unus est, sed ita unus, ut mea sola valeat memoria.

Praeterea hoc adiiciendum. Consuetis illis verborum comprehensionibus, quae sunt: *Nihil est, quod non — Quis est, qui non* — similesque, Cicero sententiam relativam, quam quaerimus, coercentem non raro solet interponere. De Repub. I. 2, 2: *Nihil dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod non ab his partum confirmatumque sit.* p. Sestio 50, 106: *Quae contio fuit per hos annos, quae quidem esset vera, in qua populi Romani consensus perspici non posset?*

Postremo monendum est, formulam, quae est qui quidem, non modo coercendae sententiae primariae sed saepe etiam simpliciter explicandae inservire. Qui usus a re nostra alienus quid differat ab eo, quem exquirimus, facile videre licet ex his. Si dicitur: *Nemo omnium hominum, quos quidem novi,* simplex additur explicatio nec ad speciem redigitur id, quod genus esse videbatur. Omnes enim homines, quorum antea mentio est facta, accuratius definiuntur. Quod contra: *Nemo, quem quidem noverim* si dicitur, sententiae relativae vis coercens agnoscenda est. Idem enim valet, ut supra vidimus, quod: *talis quidem ut noverim.* Eiusmodi sententiae merae explicationis causa additae non est cur efferantur per coniunctivum. Ex eo autem numero ea sunt enunciata relativa, quae apud Ciceronem adhibita inveniuntur in subiectione. Ita enim, quae ab adversario profecta sunt aut profecta videri possunt, explicant ut illa inania esse videamus: p. Plancio 35, 87: *„Aderat mecum cunctus equester ordo": quem quidem in concionibus consul proscriptionis denuntiatione terrebat. „Tota Italia convenerat": cui quidem belli intestini et vastitatis metus inferebatur.* Quos locos, si ita volueris, hoc modo accipi licebit ut in iis sententiarum primariae et secundariae oppositio agnoscenda sit. cf. *Aderat quidem — sed eum — terrebat; convenerat quidem — sed ei — metus inferebatur.* Cavendum modo hoc unum, ne primarias sententias coerceri censeas secundariis; neuter enim locus ita est constitutus ut a genere ad speciem descendatur.

Cic. N. D. III. 7, 15: *Non igitur adhuc, quantum quidem in te est, Balbe, intelligo deos esse, quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici.*

d) Aut certe aut dumtaxat adiicitur.

53. Uterque hic usus esse non videtur nisi recentioris temporis scriptorum nec ad stabiliendum eum exempla nisi singula afferri possunt.

Fronto ad Marc. Caesar. II. 5: *Perendinus dies meus festus erit, et certe tu venis.*

Oros. VII. 1: *Utique sub reverentia religionis et confessione cultuque supernae potentiae vivimus, distante dumtaxat fide, quia nostrum est fateri, ex uno et per unum deum constare omnia, illorum, tam multos deos putare quam multa sunt elementa* (h. e. ita tamen ut fides distet).

d) Eatenus, qua adiiciuntur.

A Spaldingio Quintilianea esse formula perhibetur: dum eatenus qua, quae si est, 54.
non plus tamen unum eius exemplum nec id satis certum afferri potest.

Quintil. I. 11, 1: *Dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus qua pronunciandi scientiam futurus orator desiderat.* Ubi alia est scriptura: *eatenus qua*, quam interpres ille minus elegantem existimat. Ego quidem non video, quae in dum particula adiecta hoc loco elegantia inesse videri possit. Sed, utcumque id est, aliud eiusmodi exemplum esse nec Quintiliani nec alius auctoris constat, itemque alteram illam lectionem optime convenire cum iis, quae supra (§. 33) allata sunt. Spaldingii lectio si retinenda est, quod nisi codicibus rursum inspectis diiudicari nullo modo potest, ita est locus intelligendus: *dummodo des eatenus modo, quatenus — desiderat.*

e) Prius adiicitur.

Duae sunt formulae ita coagmentatae ut ad secundariae sententiae naturam coercentem 55.
quidem planius demonstrandam prius adverbium coniunctioni adiectum videamus. Sunt autem hae: si prius et cum prius, quibus num tertiam addi liceat, quae sit ut prius, deficientibus nos exemplis, ita in dubio relinquimus, ut tamen verisimile id esse censeamus. Respondentia enim inter se ita — ut prius inveniuntur.

Cod. Iustin. II. 8, 2: *dispositum est* (constitutione) *ita licere tutori vel curatorem debitorem pupillarem solvere, ut prius iudicialis sententia sine omni damno celebrata hoc permittat.* Quo loco si legeretur: *dispositum est, licere tutori — solvere, ut prius — permittat* (h. e. ita tamen ut prius — permittat) ad usum, quem quaerimus, exemplum pertineret.

1. Handius IV. 567 duo exempla affert Ciceroniana Lael. 16, 59 et Off. II. 6, 22, ex 56.
quibus licet quidem, non tamen liceat videre, verba si prius formulae instar inveniri coniuncta. Nec quidquam addit, ex quo aut quae natura sit formulae aut quomodo potissimum usurpari soleat, cognoscatur. Est autem usus eius maxime memorabilis. Quem si accurate definire volueris, haec tria spectanda erunt. Primum non adhibetur nisi ad inducendas sententias primariae adhaerescentes. Nullo enim loco, quod sciam, in protasi occurrit. Deinde ubique habet vim coercentem, ut idem valeat quod ita tamen, si prius —, sive non prius tamen quam si —. Tertium est illud, quod, paucissimis locis exceptis, sedem non fere habet nisi in transitionibus quibusdam ita constitutis: hoc dicam, si prius illud dixero (h. e. non prius tamen quam si illud dixero). Quae quam gravis conditio habenda sit quamque ad enucleandam rem eam, quam qui loquitur vel scribit enucleaturum se iam esse in primaria sententia promisit, necessaria, ex hoc loco, ni fallor, solivago elucet: Cic. ad Herenn. IV. 1, 1: *Nunc — tibi id, quod reliquum est artis ita ut instituimus, persolvemus. Sed facilius nostram rationem intelliges, si prius, quid illi dicant, cognoveris*, nisi forte hic etiam legendum est: persolvemus, si prius — cognoveris. (cf. §. 62, ad 1.) Transitionum igitur illarum haec ratio est ut in sententia primaria res ea commemoretur primum, quae iam sit persequenda, ut statim transitum iri ad eam exspectes, in secundaria deinde, priusquam ad hanc rem ipsam transeatur, interponi oportere aliud quid ostendatur, quod prius a legentibus vel audientibus cognosci necesse sit. Ex quo sententia primaria per futurum simplex efferri solet (*loquar, scribam, docebo*) aut certe verbi forma notione quidem illi accommodata exhiberi (*de-*

monstrandum est, permitte referre, simil.), in secundaria locum habere non potest nisi futurum secundum (cf. §. 91 nisi prius). Postremo duo videntur esse addenda, primum mihi quidem unum modo locum notum esse, ubi formula haec inveniatur divulsa, deinde nusquam me reperisse inter se respondentia ne haec quidem: ita — si prius aut tum — si prius, nedum illa: ita demum — si prius aut tum demum — si prius, apud Solinum tamen, omissa particula demonstrativa, legi: demum — si prius.

Cic. ad Herenn. I. 10, 16: *Nunc, quod reliquum est, quoniam de rerum inventione disputandum est, in qua singulare consumitur oratoris officium, dabimus operam ut nihilo minus industrie, quam rei utilitas postulabit, quaesisse videamur, si prius pauca de causarum divisione dixerimus.* ibd. I. 16, 25: *Quae constitutiones et quae constitutionum partes sint, videor ostendisse. Nunc quomodo eas et qua via tractari oporteat, demonstrandum est, si prius aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur.* Lactant. V. 17, 2: *Quod ad praesentem disputationem pertinebat, ostendi, quomodo —. Nunc maius a me exigi sentio, ut ostendam, quare iustitiam deus, stultitiae specie convolutam, ex oculis hominum voluerit auferre, si prius Furio respondero.*

Cic. Verr. III. 16, 40: *Docebo cepisse* (eum pecunias) *maximas omnesque eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quaestus causa constituisse vincam, si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus usurum se putat, ex defensione eius deiecero. Magno, inquit, decumas vendidi.* Off. II. 6, 22: *male enim se res habet, cum, quod virtute effici debet, id temtatur pecunia — sed, quoniam nonnunquam hoc subsidium necessarium est, quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus.* Tusc. III. 15, 32: *Sed est iisdem de rebus quod dici possit subtilius, si prius Epicuri sententiam viderimus.* Lael. 16, 59: *Alius igitur finis verae amicitiae constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero.* de opt. gen. dic. 7, 18: *Sed aggrediamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae causa in iudicium deducta sit.* Tac. Dialog. 28: *Ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos liberos pauca praedixero.* Plin. ep. VI. 27 init.: *Scribam tamen vel, quod malo, coram indicabo, si prius haesitationem meam ostendero. Dubito num —.* Senec. benef. I. 3, 3: *Quorum quae vis quaeve proprietas sit, dicam, si prius illa, quae ad rem non pertinent, transilire* (h. e. paucia attingere) *mihi permiseris, quare tres Gratiae et quare sorores sint.* ibd. VI. 15, 2: *Aliud tamen dici potest verius, quod statim ponam, si prius, quomodo istud refelli possit, ostendero.* id. ep. 24, 18: *Permitte mihi referre hoc loco tuum versum, si prius admonuero, ut te iudices non aliis scripsisse ista sed etiam tibi.* Lactant. IV. 2, 6: *Qua de re in hoc libro adgrediar disputare, si prius ostendero sapientiam cum religione sic cohaerere ut divelli utrumque non possit.*

In simili transitione formulae partes habes disiunctas: Cic. Off. II. 1, 1: *De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero.*[9])

---

[9]) Apud recentioris temporis scriptores transitionum quoddam genus reperitur, quod, si formam sententiarum inter se coniunctarum spectas, usui illi, quem supra illustravimus, plane contrarium dici possit. Res enim primaria, ad quam transeundum sit, participio futuri activi effertur, secundaria autem illa, quae eius quaestionem paululum sit moratura, enunciato primario. Quintil. VIII. 3, 41: *Ceterum dicturus, quibus ornetur oratio, prius ea, quae sunt huic contraria laudi, attingam: nam prima virtus est vitio carere.* Similiter Gronovio auctore legitur (omissa quidem prius particula) Tac. dialog. 30: *quorum* (rhetorum) *professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam necesse est animum ad eam disciplinam —,* Acidalius correxit: *statim dicam; prius referam.* Imprudenter quidem.

Quoniam huc quasi proclivi cursu delapsi sumus, illud etiam addi liceat, non acquievisse posterioris aetatis scriptores participii futuri eo usu, quem dixi, quo quidem duae res, altera quam altera prius, exponendae indicarentur, imo adhibuisse illud etiam in transitione simplici, ut Ammian. XIV. 6, 16: *Mensarum enim*

Addamus pauca exempla, quae extra hos transitionum fines vagentur. Non sunt autem Ciceroniana. Senec. epist. 48, 8: *Dic, quid natura necessarium fecerit, quid supervacuum, quam faciles leges posuerit —, quam acerba et implicita eorum* (sit vita), *qui opinioni plus quam naturae crediderunt, si prius docueris, quae partem eorum levatura sunt, quid istorum cupiditates demit, quid temperat;* qui tamen locus iis, quos supra attuli, simillimus est.

Caes. b. Gall. 2, 32: *Ad haec Caesar respondit, se magis consuetudine sua quam merito eorum civitatem conservaturum, si prius, quam murum aries attigisset, se dedissent* (h. e. sed ita, si —, sed non aliter quam si —). Sallust. Catil. 27, 4: *Seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset.*

Solini solitarius ille locus, quem dixi, hic est: 32, 36: *Sed demum sitim sedat* (palma), *si prius, quam maturuerit, decerpatur* h. e. tum demum vel ita demum — si prius).

2. Altera formula, quae est cum prius, ab Handio plane praetermissa, non apud 57. Ciceronem, sed apud recentiores invenitur eosque ipsos rarissime. Temporis in ea ratio est sola visque coercens, ut idem valeat quod non prius tamen quam cum —.

Flor. I. 3, 8: *Itaque hoste victo ruptorem foederis Metium Fufetium religatum inter duos currus pernicibus equis distrahit Albamque ipsam quamvis parentem, aemulam tamen diruit, cum prius omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset.* Quintil. XI. 1, 35: *At vir civilis vereque sapiens — omnia, quae ad efficiendum oratione, quod proposuerit, valent, libenter adhibebit, cum prius, quod honestum sit, efficere in animo suo constituerit* (nimirum cum eiusdem auctoris II. 15, 34 opinione bene dicere non possit nisi vir bonus). id. XII. 7, 6: *Neque vero pudor obstet, quominus susceptam, cum melior videretur, litem cognita inter disceptandum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam —.* Cod. Iustin. II. 23, 12: *disposuimus — si fideicommissarius iusiurandum ei* (h. e. heredi) *detulerit, cum prius ipse* (h. e. fideicommissarius) *de calumnia iuraverit, necesse eum habere vel iusiurandum subire vel recusantem ad fideicommissi solutionem coarctari.* Sulp. Sever. hist. II. p. 291: *Itaque signo regis templum obsignatur, cum prius Daniel, sacerdotibus insciis, pavimentum cinere aspersisset, ut introeuntium occultos aditus vestigia proderent.*

g) Interim adiicitur.

Apud Plinium iuniorem legitur si interim eodem fere sensu, quo si prius, sed 58. semel. Quod contra cum interim verborum coniunctio omnibus optimis scriptoribus usitata est itemque cum interea, nisi quod formulae hae duae a re nostra alienae sunt existimandae. Scilicet non adhibentur eae quidem nisi sententiis inducendis primariae adhaerescentibus, ita tamen, non ut eam coerceant sed ut periodi membrorum duorum exsistat inter se oppositio. Paululum enim differunt usu a formula cum tamen, de qua supra vidimus (§. 39).

Plin. ep. VI. 23, 4: *Est indolis optimae, brevi producturus alios, si interim provectus fuerit a nobis.*

Cum interim formulam idem fere valere diximus et cum tamen; accuratius si eam definire volueris, dicere licebit idem significare quod cum simul tamen. cf. Spalding. ad Quintil. X. 1, 18. Hand. Turs. III. 429. Kempf. ad Val. Max. II. 9, 1. Discrimen quidem illud, quod hic Valerii interpres doctissimus inter indicativum et coniunctivum esse dicit formulam subsequentes, nullum est fere, praesertim cum fiat rarissime ut actiones duae, primaria et secundaria, et incidant in tempus idem nec inter se aliquo modo opponantur (Tac. Ann. 1, 60. Sallust. Iug. 12, 4). Res ita se habet, ut omnium scriptorum regula quaedam agnoscenda sit, qua, quamvis appareat oppositas inter se esse sententias, tamen usurpari soleat indicativus. Alterius modi usus tam rarus est ut exceptionis instar

---

voragines et varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, praetermitto, illuc transiturus, quod quidam per ampla spatia urbis subversasque silices sine periculi metu properantes equos velut publicos signatis, quod dicitur, calceis agitant.

habendus sit. Cic. Fam. X. 24, 4: *neque ille intermisit affirmare se sine mora venire, cum interim aversum illum ab hac cogitatione ad alia consilia video se contulisse.* id. Pison. 38, 93. Val. Max. IV. 4, 1. Plin. ep. III. 7, 11 et 16, 13. VIII. 14, 13. Quintil. I. 2, 3. II. 12, 2 et 11. X. 1, 18 et 111 (cf. Zumpt. Tom. V. p. 411). Senec. ep. I. 1, 3. ad Marciam 11, 3. Coniunctivi exempla sunt: Cic. p. Sulla 5, 16: *quid tam coniunctum quam ille cum Catilina? cum Lentulo? cum interim Sulla cum iisdem illis — ne mediocri quidem sermone et congressu coniungeretur.* id. Pison. 4, 9. De infinito formulae addito cf. Drakenb. et Alschefsk. ad Liv. 51, 4. Alschefsk. ad Liv. VI. 11, 4. Ceterum, utcunque de modis iudicas, nobis quidem, examinatis his exemplis, quae attuli, intellexisse aliisque, si ea diligentius excutere voluerint, demonstrasse sufficit, abesse videri hanc formulam a re nostra longissime. Nullus enim illorum locus est, quo eam ad primariam actionem coercendam conferre quid dici liceat, imo omnes eiusmodi, ut verba etiam ea fere comprehensione, qua etsi — tamen inter se opponerentur, facile potuisse devinciri appareat.

Idem cadit in formulam, quae est cum interea, ab Handio III. 417 strictim commemoratam. Congruit cum superiore, sive notionem spectas sive constructionem. Exemplis Handii duobus addimus: Cic. Fam. III. 6, 5: *eoque ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum exspectabam, cum interea ne literas quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres.* ibd. III. 6, 4. Verr. V. 62, 162. de prov. cons. 3, 5. Iustin. XXVII. 3, 5. Deinde coniunctivo adiuncto: Cic. Verr. I. 6, 15: *Simulat se eorum praesidio confidere, cum interea aliud quiddam iam diu machinetur.* id. Fam. VII. 1, 1.

Uno Ammiani loco inveniuntur consociata cum inter haec —, ita tamen ut hanc etiam formulam solitariam commune quid habere cum re nostra negandum sit XXVI. 8, 3: *Fessus denique inopia commeatuum — discedere iam parabat, cum inter haec clausi apud Nicaeam, patefactis subito portis egressi — properabant.*

2. In sententia secundaria primariam coercente desiderantur particulae vim illam planius demonstrantes.

59. Non dubia potest esse sententiarum ratio primariae et secundariae, ad hanc si adnectendam aut dum coniunctio adhibeatur conditionalis aut, quarum utriusque eadem fere notio est, vel quoad vel quatenus. Omnes enim hae particulae coercendi vim quasi innatam habent nec ad eam aut efficiendam aut illustrandam, si quaeris, adventicio aliquo adiumento opus est. Difficilior illa ratio videtur esse ad perspiciendum, si nuda quidem adiungendae inserviat sententiae secundariae vel si particula vel etiam una ex vocibus iis, in quibus apertior inest ad aliquid relatio, quae sunt ut, quantum, pronomen denique relativum, quod proprie appellatur. Nec eiusmodi enunciata iure et merito ex eo esse genere, quod quaerimus, dici licebit, nisi ea proxime accedere videbuntur ad similitudinem eorum, in quibus supra vocularum illarum significationem coercentem, suffragantibus quidem aliis quibusdam particulis, plane atque aperte exhiberi demonstravimus. Talia autem exempla, universe si iudicare volueris, rariora invenies.

60. 1. Quae Handius II. 324—328 de dum particulae usu huc pertinente exposuit, paucissima iis habeo quae addam. Primum memorabilis est Ciceroniana particularum dum ut consociatio, cuius tamen quae praesto sunt exempla, dubitationem afferunt. Deinde dum ne non modo formula, sed partibus etiam disiunctis invenitur. Tum quod ille l. c. p. 325 dum non dici non posse censet, nisi ubi negatio non cohaereat cum verbo sed ad aliam aliquam enunciati partem sit referenda, errat. Repugnant enim huic regulae loci Quintilianei minimum duo. Per se quidem etiam memoratu digna est ratio, quam ita — dumne inierunt Livio auctore, quamquam hic usus ei, quem quaerimus, modo vicinus dici potest.

Cic. ad Attic. VII. 23, 3: *Caesaris literarum exemplum tibi misi: rogaras enim; cui nos valde satisfacere multi ad me scripserunt; quod patior facile, dum ut adhuc nihil faciam*

turpiter. Qui locus cum comparari possit cum illo, quem supra (§. 45) vidimus Sulp. Sever. Dialog. III. 15 p. 578: *dummodo ut —,* facile tamen etiam ita constitui potest ut interpungatur *dum, ut adhuc.* cf. Cic. ad Attic. XI. 19, 2: *Mihi tantum temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caveam, qui nihil unquam cavi.* Ceterum, si altero illo loco dum ut formulae instar iungenda sunt, nihil prohibet quominus etiam altero hoc comprehendantur: dum ut — — caveam.

Formulae, quae est dumne quia exemplis duobus ab Handio allatis ex Livio (XXVI. 1, 8. XXXIII. 24, 9) addimus eiusdem auctoris tertium XXV. 7, 4: *faceret, quod e republica fideque sua duceret, dumne quis eorum munere vacaret —*

dum — ne particulas habes disiunctas: Liv. III. 21, 6: *Imitamini, patres conscripti, turbam inconsultam et, qui exemplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius quam alii vestro recte faciant, dum ego ne imiter tribunos nec me contra senatus consultum consulem renuntiari patiar.* Plaut. Aulul. III. 5, 17: *nubant, dum dos ne fiat comes.* Capt. II. 2. 88: *quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.* Quibuscum locis conferri possunt ii, ubi eadem disiunctio invenitur in protasi. Plaut. Trinumm. IV. 2, 136. Fronto ad M. Caesarem I. 1 f.: *Male dum similiter ne unquam nos perturbes, ut natali tuo perturbasti, cetera minus laboro.*

ita — dumne inter se respondent in senatus consulti verbis ap. Liv. XXXIX. 18, 9: *ita id sacrum faceret, dumne plus quinque sacrificio interessent.*

dum non particularum modo coniunctarum modo disiunctarum is usus, quo negatio ad verbum referenda sit, satis probatur his exemplis: Quintil. X. 3, 7: *Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat.* XII. 10, 48: *Ceterum hoc, quod vulgo sententias vocamus, dum rem contineant et copia non redundent, quis utile neget?* Quibus addi etiam licet tertium IX. 4, 58: *Tamen et eligere quaedam, dum ex iis, quae idem significent atque idem valeant, permiserim: et adiicere, dum non otiosa: et detrahere, dum non necessaria.* Quem quidem locum nemo erit qui ita censeat iudicandum ut non otiosa et non necessaria comprehendantur. Apparet enim supplenda haec esse sic: *et eligere quaedam, dum eligas — et adiicere, dum non adiicias — et detrahere, dum non detrahas —.*

2. Quoad ad hoc sententiarum genus primariae adnectendum saepius adhibetur, sed 61.
ita ut ubique suum quid et proprium et a particula superiore separatum teneat. Quod quidem in eo cernitur ut finis quidam spectandus sit, quem ultra progredi aut non liceat tibi aut vero non possis. Saepenumero eiusmodi enunciata primario interponuntur cum alia tum haec: quoad eius facere poteris, quoad eius fieri poterit similiaque, addito quidem genitivo partitivo, qui dicitur, ad totam sententiam primariam pertinente. cf. Forc. Lex. Ceterum apud Afranium inverso partium ordine, sed sensu eodem legitur ad quo Hand. I. 178.

Idem est usus quatenus particulae sed multo rarior.

Varr. L. L. 8, 1: *Verborum inclinationes sequi iubet, quoad patiatur consuetudo* (h. e. quoad liceat per consuetudinem).

Cic. Lael. 1, 1: *Ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, ut quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem.*

id. Tusc. IV. 38, 82: *cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus;* ubi verbi repetitio *(cognitis — cognosci)* eadem invenitur, quam in si modo formula consuetam vidimus. Quid differant quidem haec duo, si modo possunt cognosci et quoad possunt cognosci, planum est; illic enim cognitio ipsa in dubium vocatur, hic mensura cognitionis monstratur.

Eutrop. X. 16 (8): *Iulianus in provinciales iustissimus et tributorum, quatenus fieri posset, repressor.*

3. Sententia conditionalis licet ita sit constituta ut a simplici coniunctione incipiat 62.
nec addita ei particula aliqua coercentem illius vim esse planius declaret, fit tamen nonnunquam ut hanc ei vim subesse in dubium vocari nullo modo possit. In quo illud vix operae pretium est monere, non posse quidem eiusmodi sententias primariae non aut adiungi aut

certe interponi, non tamen eo, quod adiunctae aut interpositae inveniantur, iam coercentes a nobis existimari. Quod satis ineptum sit, praesertim cum talis quaedam vis facile in quavis sententia inesse conditionali etiam protasis sedem tenente videri possit. Nobis huc ea modo genera referenda videntur, in quibus secundariam sententiam primariae quasi supplementum accedere censere necessitate quadam coacti simus. Sunt autem genera duo, alterum tale ut si idem valere putandum sit, quod si prius, quam quidem formulam praecipue in transitionibus quibusdam locum habere solere supra vidimus (§. 56), alterum eiusmodi, ut non possit non significare idem quod vel si modo vel si tamen vel dummodo. Atque ille quidem usus quo stabiliatur unum solum exemplum habeo nec id ipsum omni dubitatione exemtum. Hic alter frequentior est multo et, ni fallor, triplex. Aut enim, si quid in sententia primaria directe positum est, id in secundaria simul et repetitur et revera num sit aut esse possit addubitatur, adiecto plerumque enunciato relativo, ex quo dubitationem illam pro negatione habendam esse appareat (cf. §. 41 et 46). Aut si in superiore verborum comprehensione tale quid commemoratum est, quod ab adversario aliquo profectum aut sit aut videri possit, subiectio opponitur, constans ex concessione, aut uno aut pauculis verbis concepta, exque sententia conditionali id, quod modo concessum sit, ita coercente et extenuante, ut prope ad nihilum redigatur. Huc igitur pertinent pervulgatae illae formulae subiectionis, quae sunt: Certe, si —, Etiam, si —, Optime, si —, Recte id quidem, si —, Verum est, si —, Est prorsus, si —, Credo, si —, Ita opinor, si —, in quibus si idem valet quod si modo (cf. Cic. Legg. II. 6, 14: Certe, si modo —). Restat tertium quoddam exemplorum genus ita comparatum, ut sententia conditionalis eaque brevissima magna cum gravitate clausulam teneat. Quae illius et collocatio et brevitas, praesertim si amplioris verborum comprehensionis appendix est, satis demonstrat, id ipsum effici voluisse scriptorem, ut conditio videretur esse tam necessaria, a qua recedi nullo modo posset, hoc est, ut si particula idem valere intelligeretur quod dummodo. Ceterum hic usus, quo si potes, si audes similiaque additamenta id, quod continetur sententia antecedente, aut negant fieri posse aut id certe in dubium vocant, prope solius est Ciceronis.

ad 1. Cic. ad Herenn. I. 1, 1: *Nunc — de re dicere incipiemus, si te unum illud monuerimus;* ubi plurimorum codicum scriptura est: *sed si te.* (cf. Orell.) Exspectamus quidem: *si prius te.*

Huius formulae usum si ex iis, quae diximus (§. 56), bene cognitum habes eique illum, cuius modo exemplum allatum est, plane congruere concedis simulque intelligis, utriusque generis sententiae conditionalis eam vim et naturam esse ut non adhaerescere primariae non possit, plane perversa videri debet huius loci Ciceroniani constitutio: ad Herenn. IV. 1, 1: *Nunc, si pauca, quae res postulat, dixerimus, tibi id, quod reliquum est artis, ita, ut instituimus, persolvemus. Sed facilius nostram rationem intelliges, si prius, quid illi dicant, cognoveris.* Quamquam loci perversitas, si quaeris, non modo in praepostera cernitur sententiae conditionalis collocatione sed multo magis in copiosa quadam taediique plena loquacitate, non a Cicerone nimirum sed librario aliquo inepto orta. Detracto *uno et altero panno,* quem ille assuit, ita, ni fallor, locus constituendus est: *Nunc tibi id, quod reliquum est artis, ita ut instituimus persolvemus, si prius quid illi dicant cognoveris.*

ad 2. cf. Wopkens Lect. Tull. ed II. p. 169. Ex primo genere exempla haec sunt: Plin. ep. I. 12, 1: *Iacturam gravissimam feci, si iactura dicenda est tanti viri amissio.* Hor. Od. IV. 3, 24. Deinde addita sententia relativa: Cic. p. Ligario 1, 3: *Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur.* id. p. Sestio 14, 33: *Iidem consules, si appellandi sunt consules, quos nemo est qui non modo ex memoria sed etiam ex fastis evellendos putet,*

illa omnia — comprobaverunt. Latini Pacati Panegyr. 34: *testis pulcherrimus amne conflictus* (der Kampf am Flusse), *si conflictus ille dicendus est, quo ita in publicos proditores animi plenus miles invasit ut —.*

Ex altero genere: Cic. Off. III. 29, 105: *At enim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuisset quam sibi nocuit ipse Regulus. — Certe, si nihil malum esset nisi dolere* (h. e. Certe, sed ita si — sive: Certe, si modo —). id. Orat. 42, 144. Tusc. V. 12, 35 f. — Plin. ep. VII. 17, 5: *„Supervacuum est recitare, quae dixeris.“ Etiam, si eadem omnia, iisdem omnibus, si statim recites: si vero —.* Cic. Brut. 83, 287: *Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis.* — Lactant. VI. 19, 1: *Peripatetici nihil in homine esse dicunt, quod non magna ratione ac providentia sit innatum. Recte id quidem, si singularum rerum veros terminos scirent.* — Senec. de ira II. 17, 2: *Languidus, inquit, animus est, qui ira caret. Verum est, si nihil habet ira valentius.* id. de benef. III. 30, 4: *Dic nunc, Hoc ipsum, quod ista potuisti, patris munus est. Respondebo tibi: Est prorsus, si ad ista facienda nasci satis est; sed si —.* Cic. p. Marcello 8, 25: *saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo, si tum id audirem, si tibi soli viveres. Nunc.* — cf. Wopkens Lect. Tull. ed II. p. 113. — Liv. XXXVII. 53 f.: *At enim magnificum est liberare civitates servas — Ita opinor, si nihil hostile adversus nos fecerunt; sin autem.* — Rarior concessio verbi alicuius gravioris ex adversarii sermone translati repetitione continetur, ut Cic. Tusc. I. 37, 90: *At id ipsum odiosum est, sine sensu esse. Odiosum, si id esset carere.*

Ex tertio genere: Cic. Orat. II. 2, 8: *deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, cum etiamnunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem.* Brut. 4, 15: *quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis.* Verr. II. I. 26, 67. cf. Hor. Epist. II. 1, 250—257. — Cic. in Pison. 27, 65: *Fac huius odii tanti ac tam universi periculum, si audes.* id. Tusc. I. 31, 75: *Quo cum venerimus, tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet.* Divin. II. 54, 110. Inveniuntur etiam eiusmodi clausulae ampliores, sed raro. cf. Hor. Od. I. 1, 32.

4. Nihil fere tritius esse potest quam ut particulae is usus, quo cum formulae, quae 63.
est ut quidem, sensu conveniat. Multo rarior ille est, quo quod quantum quidem significet. Nec vero saepius eius notio accedit ad similitudinem formularum, quae sunt ut tamen (h. e. ita tamen ut) et si tamen (h. e. ita tamen si). Ex his generibus primum illud, quod diximus tritum, non eo despicatui ducendum cumque fastidio quodam quasi vile praetereundum est, sed, qua sit in varietate ut eluceat, diligentius examinandum. Videtur autem quatuor potissimum modis usurpari, ut aut rei in sententia primaria commemoratae auctor aliquis addatur (*ut Plato ait* h. e. ut Plato quidem ait) aut ut res illa significetur vel memoriae quidem tradita vel rumoribus divulgata vel contrita proverbii instar (*ut scribitur, ut fama est, ut aiunt* h. e. ut scribitur quidem —) aut ut rem opinatam esse, non veram appareat (*ut rebatur* h. e. ut rebatur quidem) aut ut eam scribentis quidem vel iudicio vel sensu probari vel etiam auditione ab eo acceptum esse videamus (*ut ego interpretor, ut ego sentio, ut audio* h. e. ut ego quidem interpretor —). Ceterum eiusmodi enunciata orationi solent interponi.

Postremo addendum est, esse sententias ex hoc genere negantes, in quibus ut non idem valeant quod ita quidem ut non, nec tamen eas facile inveniri nisi primariis sententiis item negantibus adnexas. Ita inter se respondere solent non — ut non —, non — ut non et —, non — ut non simul et —, quorum loco etiam non — quin, non — quin una, non — quin simul inveniuntur. Alia est ratio ne particulae adhaerescentem sententiam secundariam cum primaria connectentis. Idem enim significat quod modo ne sive tantum ne, quae sunt optantis (cf. §. 31 not. 5).

a) ut = ut quidem.

In rei auctore aliquo afferendo coercentem esse eiusmodi sententiam ita facillime apparet, si nomen illius verbo praemittitur eoque ille aliis auctoribus sive aperte sive tecte opponitur. Cic. Tusc. I. 26, 64: *Philosophia vero quid est aliud nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum?* id. p. Flacco 16, 38: *ut Asclepiades dicit.* Quintil. VI. 3. 8. — Cic. Divin. I. 1, 1: *ut Plato interpretatur.* Sueton. Caesar. 42 f.: *ut Cicero scribit.* Solin. 12, 11: *ut Hegesidemus auctor est.* — Cic. Divin. I. 40, 88: *ut apud Ennium est.* —

Ex altero genere exempla sunt: Cic. Off. I. 10, 32: *Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit.* ibd.: *ut in fabulis est.* Solin. 2, 9: *ut fama est.* Plin. ep. II. 3, 9: *ut vulgo dicitur.* Cic. Off. II. 10, 36: *contemnuntur ii, qui nec sibi nec alteri* (prosunt), *ut dicitur.* Solin. 2, 6: *quam procaciter insidentem vias Hercules, ut ferunt, interemit.* Cic. Philipp. III. 11, 27: *o praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum!* id. Orat. II. 58, 233. Philipp. XII. 2, 5. Catil. I. 6, 15. Atque hanc quidem formulam, quam ultimo loco attulimus similitudini ei, quae in proverbium abierit, adiectam praeter Ciceronem in deliciis habet Ammianus. cf. XVIII. 5, 6: *non contis nec rymulco, ut aiunt, id est non flexiloquis ambagibus vel obscuris sed velificatione plena in remp. ferebatur.* XIX. 5, 2: *tantum proficientes, quantum in publico, ut aiunt, incendio aqua unius hominis manu adgesta.* XXI. 9, 3: *fama vero, quae mille, ut aiunt, linguis rerum misere exaggerat fidem.* — XXVIII. 1, 26: *iussus ad eius comitatum duci, de fumo, ut aiunt, in flammam.* — XXIX. 2, 22: *velificatione tranquilla, ut aiunt, ferebatur ad gloriam.* Ceterum totum hoc genus tale est, ut coerceri sententiam primariam secundaria licet minus plane appareat, negari tamen non possit. Ostenditur autem, res num vera sit, in dubio relinqui, tradi certe quidem aut in fabulis esse aut in proverbio tam pervulgato, ut si ad rem propositam adhibeatur, id ineptum haberi non possit.

Ex tertio genere sunt: Vellej. II. 48, 4: *Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica — stetit.* id. II. 51, 1: *mare praesidiis classium, ut rebatur, sepserat.*

Ex quarto: *ut mea fert opinio:* Cic. p. Cluent. 16, 46. Colum. III. 11 med. *ut opinio mea fert:* Cic. p. Planc. 19, 48. p. Fonteio 13, 29. Fam. XIII. 66, 2. *ut mea opinio fert:* Apul. de Magia p. 251. *ut mea opinio est:* ibd. p. 265. *ut opinio nostra est:* Cic. Fam. IX. 11, 1. *ut opinor* (cuius formulae usus varietatem hoc loco mittimus): Cic. Tusc. III. 4, 7. 9, 18. p. Rosc. Am. 16, 46. Verr. IV. 3, 5. 18, 39. Pison. 28, 69. Fin. III. 6, 20 al. *ut arbitror:* id. p. Sestio 33, 71. Tusc. III. 3, 6. ad Herenn. III. 1, 1. *ut suspicor:* id. Philipp. VIII. 10, 28. *ut puto:* Tac. Dialog. 21. Ammian. XXI. 5, 6. Petron. Arb. 96 p. 325. Apul. de Magia p. 253. *ut existimo:* Petron. Arb. 96 p. 326. *ut spero:* Cic. Fin. V. 2, 6. Fam. II. 15, 5. p. Sulla 6, 20. de Fato 2, 3. *ut comperior:* Apul. de Magia p. 256. *ut audio:* Cic. Orat. II. 10, 43. Apul. de Magia p. 300. 316. 324. Eiusdem Apuleii haec sunt p. 335: *Praeterea nescio quos Chaldaeos consuluerat, quo lucro filiam collocaret. Qui, ut audio, utinam illud non vere respondissent, primum eius maritum in paucis mensibus moriturum;* quae in brevius contracta videntur esse, ut exspectentur haec: *qui, ut audio, responderunt (utinam non vere respondissent) primum —.*

Planior etiam vis illa, quam dixi, apparet, pronomine primo personae formulis adiecto. cf. *ut ego arbitror:* Cic. Pison. 28, 68. Gell. N. A. IV. 9, 1. *ut nos arbitramur:* Cic. Invent. II. 4, 12. *ut ego interpretor:* id. N. D. III. 18, 46. p. Sestio 3, 8. *ut ego suspicor:* id. Fin. III. 4, 14. *ut ego sentio:* id. p. Milon. 26, 70. Fam. III. 8, 7. *ut ego coniecto:* Plin. ep. VI. 16, 19. cf. *ut ego quidem intelligo:* Cic. d. Rep. II. 31, 55. *ut ego quidem sentio:* Quintil. VI. 2, 8. al.

b) ut = quantum quidem.

Cic. ad Fam. I. 2, 4: *Nos in senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus.* Incerti auctor. panegyr. in Constantinum 1 f.: *Experiar igitur, ut possum, quamquam oppletis auribus tuis, ut sic dixerim, insusurrare.*

c) ut = ut tamen (ita tamen ut).

Liv. VIII. 21, 8: *In hanc sententiam maxime consul ipse inclinavit animos, identidem ad principes sententiarum consulares, uti exaudiri posset a pluribus, dicendo.* cf. Alschfsk. Ubi particulae vim coercentem esse satis intelligimus ex eo quod *consulares — pluribus* inter se

sunt contraria. Similiter iudicanda sunt illa: Hor. epist. I. 18, 79: *quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri, ut penitus notum, si tentent crimina, serves.* Quintil. IX. 4, 147: *Cura magna, ut sentiendi atque eloquendi prior sit.* cf. Bonnell.

d) ut = si tamen (ita tamen si).

Cic. Verr. III. 47, 112: *Ager efficit cum octavo, bene ut agatur, verum ut omnes dii adiuvent, cum decumo* (doch bei gutem Jahre).

e) ut non simil.

Phaedr. III. 7, 27: *Regnare nolo, liber ut non sim mihi* (h. e. ita quidem nolo, ut non —). Senec. ad Helv. 12, 3. Quintil. IX. 2, 32. Tac. An. 14, 44. Sueton. Aug. 56. Petron. Arb. 61 p. 216.

Quintil. III. 6, 68: *testatus — vix in ulla controversia translationis statum posse reperiri, ut non et alius in eadem recte dici videretur.* Senec. benef. V. 17, 3: *Quotusquisque uxoris optimae mortem timet, ut non et computet?* (h. e. nemo fere — ut non et)

cf. Plin. ep. I. 13, 5: *neque enim quisquam est fere, qui studia, ut non simul et nos amet* (h. e. *qui studia amet, ut non simul et nos amet,* quod est, *qui studia amet ita ut non* —).

Cato ap. Gell. N. A. XVII. 13, 4: *Neque satis habuit, quod eum in occulto vitiaverat, quin eius famam prostitueret.*

Apud Ciceronem una aut simul particulae illi adiicitur, ut p. Milone 11, 30: *qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rempublicam vosque servaret.* — ibd.: *non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus — esse pereundum.*

Exempla, quale hoc est: Sallust. Catil. 52, 12: *Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii, ne illi sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant* — ita iudicanda sunt ut supra (§. 31 not. 5) vidimus. Sensus hic est: *Dummodo ne — largiantur et — perditum eant, per me licet etiam liberales sint ex sociorum fortunis,* cf. Phaedr. App. III. 9, 10: *Ex toto ne quid scalpas, quid desideras:* quibus verbis sententia quae subest, huic eam apparet esse finitimam: *dummodo ne quid scalpas (hoc unum specto) per me licet quidvis desideres.*

5. Quemadmodum et quomodo non ita raro formulae ut quidem loco ponuntur. 64.

Quintil. II. 12, 7: *quemadmodum Cicero dicit.* id. II. 5, 20: *quemadmodum Livius praecipit.*

Deinde: Cic. p. Milone 28, 78: *quemodmodum confido.* id. Brut. 97, 333: *quemadmodum accepimus.*

Tum in proverbio: id. Verr. V. 21, 53: *quemadmodum dicitur.*

Ex iisdem tribus generibus haec sunt exempla: Quintil. XI. 2, 21: *quomodo Cicero dicit* —. Cic. p. Rosc. Amer. 2, 7: *quomodo mihi persuades* —. id. Pison. 28, 69: *iste claudus, quomodo aiunt, pilam* (Orell. *quemadmodum).*

6. Pronomen relativum saepe ita usurpatum invenies, ut ei mente et animo quidem 65. particulam, rarius ita ut modo additam intelligi liceat. Qui uterque usus praecipue pertinet ad genus neutrum. Contra si ita illud est accipiendum ut formulae, quae est qui tamen, locum tenere videatur, abest a re nostra. In eiusmodi enim exemplis sententias duas secundariam et primariam inter se opponi, ut earum ratio sit ea, quae in periodi membris ab etsi — tamen particulis incipientibus animadvertatur, non coerceri primariam secundaria apparet.[10])

[10]) Exempla sunt: Liv. XLIII. 20, 2: *Lissi rex Gentius erat. Eo acciti legati, mandata exponentes, benigne auditi sunt, qui responsum sine effectu tulerunt* (cf. etsi — benigne auditi sunt, tamen). Hirt. b. Afric. 61: *quo secundo equestri proelio facto Scipio in castra laetus nocte copias reduxit; quod proprium gaudium fortuna tribuere non decrevit. Namque* —. id. 85: *Desperata salute in quodam colle consistunt atque armis demissis salutationem more militari faciunt; quibus miseris ea res parvo praesidio fuit. Namque milites veterani — non modo, ut parcerent hosti, non poterant adduci sed etiam* —. (cf. Etsi arma demiserant, tamen —). Similis ratio est enunciati relativi in subiectione adhibiti. Liv. V. 52, 5: *Forsitan aliquis dicat, aut Veiis ea nos facturos aut huc inde missuros sacerdotes nostros,*

Addo haec ad primum genus, quod commemoravi, pertinentia. Si ad nomen aliquod sententia relativa accedit, aut directe explicandae eius notioni aut vero etiam coercendae inservire potest. Quorum alterum illud genus, quo quidem nominis notionem totam quodammodo enunciatio secundaria comprehendat, vulgare est nec quidquam huc pertinet. Alterum tale est, ut quod nomen generaliter in primaria sententia positum esse videatur, eius in secundaria certa quaedam species spectanda sit. Atque hoc quidem genus, quo nominis notionem coerceri apparet additamento relativo, ex media est ea materia, quam tractamus. Sufficit unum exemplum attulisse ad utrumque genus illustrandum. Si dicitur: *naves, quae hiemali tempore subductae erant, vere redeunte deducuntur:* si omnes naves fuisse subductas intelligi necesse est, ex altero illo genere, si partem earum (ut *naves, quae* idem valeant quod *naves, quae quidem* sive *naves, non omnes eae quidem sed modo quae* —) ex hoc altero exemplum est. In quo tamen genere negari non potest, ita etiam verba illa accipi licere ut *naves, quae* idem valeant quod *eae naves, quae* eoque iam in sententia primaria pars illa navium, minus quidem plane, designata videatur nec descendi demum ad speciem a genere oporteat. Mittamus igitur eiusmodi locos, quos in usum nostrum convertendi ius nobis facile denegari possit iisque acquiescamus, qui nullam omnino habeant ambiguitatem. Intelligi autem volo unum quoddam exemplorum genus, quod breviter quidem perstringendi iam supra (§. 52) occasio fuit. Scilicet inveniuntur loci Liviani, ubi ad sententiae primariae nomen aliquod plurale aut qui eorum aut similis formula ita sit relata, ut eius ope a re illic generaliter significata ad eiusdem rei partem transiri eoque nominis illius notionem, hoc est, sententiam primariam secundaria coerceri eluceat. Qui nsus ut rarus est, ita ad rem nostram pertinens maximeque memorabilis.

Relativa sententia si eadem est et coercens primariam et negativa, saepe haec periodi membrorum ratio esse solet ut nemo — qui non idem vel nihil — quod non idem similiave inter se respondeant. In quo vim coercentem quidem esse sententiae secundariae vix potest in dubium vocari. Nam e. g. *Nemo iustus est, qui non idem sit prudens* sic videntur interpretanda: *Nemo iustus est, ita tamen (nemo iustus est), ut non idem sit prudens.*

a) qui = qui quidem.

Quae continentur primaria sententia, ad eius, qui scribit, scientiam unius saepe revocari solent verbis quod sciam, modo adiunctis illi, ut Cic. ad Attic. XVI. 2, 4: *Sestius VI. Idus exspectabatur, sed non venerat, quod sciam;* modo interpositis, ut Quintil. IX. 4, 63: *quae ab uno, quod sciam, Bruto minus probatur, ceteris placet.* Forc. cum alios locos affert tum Quintiliani declam. 9, 18, ubi eodem fere sensu quod scio invenitur. Eadem vis coercens inest in verbis quod attinet Cic. ad Attic. V. 17, 2: *Nos sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam.* Quamquam multo saepius haec in transitione adhiberi solent (Liv. XXIII. 25, 3 al.), qui usus ab hoc loco abhorret. Mitto alia exempla rei notissimae: hoc dico, legi apud Ciceronem Verr. IV. 11, 25: *quod in vobis fuit*, p. domo 13, 34: *quod in te est?* similiaque alibi alia eodem sensu, quo quantum quidem — dici solet.

---

qui faciant: quorum neutrum fieri salvis ceremoniis potest (cf. Etsi hoc aliquis fieri posse censeat, tamen id fieri non potest). — Alii loci ita sunt constituti ut a sententia secundaria repetenda sit concessio. Cic. Tusc. III. 16, 35: *Et tu oblivisci iubes* (malorum), *quod contra naturam est, qui a natura datum auxilium extorqueas inveterati doloris?* (cf. Etsi — extorques, tamen — iubes). Divin. in Caecil. 4, 13: *quod ipse, cui maxime haec res obstat, negare non audet* (cf. Etsi ei maxime —).

Cic. Tusc. III. 21, 50: *Quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipso — nulla concertatio unquam fuit* (cf. et tamen ne de eo quidem). ibd. V. 7, 20.

Cf. de hoc relativi usu quae supra §. 43 not. 8 disputavimus.

b) qui eorum.[11])

Liv. XL. 41, 3: *Fulvius — adortus a Pisis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditionem acceptos — Neapolim transmisit.* id. XXXIV. 35, 7: *Exsulibus quoque Lacedaemoniis liberos coniugesque restitueret, quae earum viros sequi voluissent* (doch nur diejenigen von ihnen, welche). Addi etiam liceat id. VIII. 37, 8: *M. Flavius tribunus pl. tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur, quorum eorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent* (h. e. quorum ex iis ope; cf. qui eorum — movissent Veliternos ad —), dummodo et constet scriptura et partis illa ratio cum iis, quae sequuntur, melius conveniat (cf. Drakenb. et Alschefsk.).[12])

Similiter quod eius iudicanda sunt Liv. XXXIX. 45, 7: *Id eos ut prohiberet, quod eius sine bello posset, praetori mandatum est;* ubi alia est lectio *quoad eius*, quae formula vulgaris est. Ceterum in utraque lectione, si quaeris, pronominis genitivus sine nomine positus idemque ad verbi notionem eoque totam sententiam relatus grammaticae repugnat. Sed maior etiam causa est offendendi in alius generis genitivo similiter usurpato a Cicerone Orat. partit. 3, 9: *Quid sequitur igitur? — Cum inveneris, collocare: cuius in infinita quaestione ordo est idem fere, quem exposui, locorum.*

c) qui = qui modo.

Cic. ad. Fam. IV. 2, 4: *Tu, quod tuo commodo fiat, quam primum velim venias* (so weit nur irgend es geschehen kann —). Caes. b. Gall. 1, 35: *si non impetraret, sese, quoniam M. Messala, M. Pisone consulibus senatus censuisset, uti, quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicae facere posset, Haeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, se Haeduorum iniurias non neglecturum.* Liv. XXVI. 32, 6: *mandaturos consuli Laevino, quod sine iactura reipublicae fieri posset, fortunis eius civitatis consuleret.* Senec. ad Helv. 9, 1: *dum cum his sim et coelestibus, qua homini fas est, immiscear* (cf. id. ad Polyb. 36, 2: *debes —, in quantum modo homini fas est, per divina ire vestigia).*

d) Membra periodi negativa ita ut dixi inter se referendi consuetudo Ciceronis est. Off. I. 14, 43: *Nihil enim liberale, quod non idem iustum.* ibd. III. 7, 34. — id. Fam. IX. 6, 3: *quasi quidquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus.* id. Off. II. 10, 35: *quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse.* Deinde formulae partium ordine mutato: id. Off. III. 30, 110: *Est enim nihil utile, quod idem non honestum.* p. Cluent. 41, 113: *nego aliquid fuisse in Fidicularii causa, quod idem non esset in ceterorum.*

Exempla, quale est Liv. XXII. 20, 2 Alschfsk.: *naves omnes, quae non aut perfregerant proras litore illisas aut carinas fixerant vadis, religatas puppibus in altum extraxere* — hoc loco mittimus.

7. Earum quoque sententiarum, coercentium quidem primariam, quae a voce quantum 66. incipiunt, duo sunt genera. Aut enim idem illa valet, quod quantum quidem aut idem, quod quantum modo. Ex altero illo genere sunt: quantum intelligo, quantum scio,

---

[11]) Multis locis haec ita inveniuntur coniuncta ut a re tota aliqua antea commemorata ad eius aliquam partem transeatur. Nec alio modo coniungi possunt. Nihilo minus a commentatione hac excludendi sunt loci illi plerique, quod rei totius commemoratio, quam dixi, aut in alia verborum comprehensione facta est, ut Liv. V. 41, 1: *Romae interim — turba seniorum — adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat. Qui eorum curules gesserant magistratus — eburneis sellis sedere,* aut si in eadem, ad quam pertinet enunciatum relativum, non arte tamen cum partis mentione cohaeret, ut Liv. XLIII. 14, 8: *edixerunt de militibus, ut, qui eorum in Italia essent, intra dies triginta — in provinciam redirent.* id. XLII. 17, 5. Drak. ad Liv. VIII. 37, 8 p. 311 magnam vim locorum, ubi qui eorum aut similia legerentur, congessit ille quidem, non tamen digessit nec usum, quem supra quaesivimus memorabilem verbo attigit.

[12]) Locus Plautinus, qui cum Liviano illo conferri solet, Trinumm. IV. 3, 16: *Inter eosne homines condalium te redipisci postulas, quorum eorum unus subripuit currenti cursori solum?* hodie aliter constitutus est (Ritsch. *quorum hercle).* Si constaret lectio illa, mirus quidam pleonasmus agnoscendus esset. Nec aliter Livii locus iudicandus sit, si, quae in dubio relinquuntur, et constet lectio et omnes ibi Tusculani intelligantur.

quantum audio similiaque enunciata primario modo adiecta modo interposita. Quibus, quae continentur illo dicta generaliter, ad eius unius, qui scribit, vel cognitionem vel experientiam revocata angustioribus in finibus videntur includi. Eodem pertinent formulae, quales sunt quantum in me est et quantum ad me (h. e. attinet), quae rem eam, quae primario efferatur enunciato, seu unius alicuius sive etiam plurium, sed certorum hominum altera illa viribus, altera haec voluntate et arbitrio metiendam esse significant.

Deinde quantum si idem valet, quod quantum modo, ita actio primaria coercetur ut rursus intra terminos constitutos quam maxime censenda sit dilatari. Ex hoc genere est formula illa quantum potest (h. e. fieri), qua imprimis comici uti solent idque ita ut fere idem significet quod quam primum vel quam celerrime. Eodem quidem sensu, sed rarius ab iis usurpatur quantum possum (h. e. facere) itemque quantum queo, ut verba non impersonaliter sint posita sed eorum ad subiecti, quod dicitur, sententiae primariae relatio fiat. Ceterum formulae, quae sunt quantum potest et quantum potes praecipue adhiberi solent in adhortationibus, ut consuetudinem habeant cum imperativo; nonnullis tamen locis, utra utri praeoptanda sit, fluctuantibus quidem in scriptura codicibus, incertum est.

a) quantum = quantum quidem.

Terent. Andr. II. 5, 12: *herus, quantum audio, uxore excidit.* id. Heaut. IV. 3, 4. Plaut. Mil. G. II. 3, 4: *quantum audivi.*

Terent. Andr. IV. 4, 17: *ab Andria est haec, quantum intelligo.* ibd. I. 3, 1: *Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae neque socordiae, quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.*

Plin. ep. V. 4, 3: *quantum auguror.* id. III. 15, 3: *quantum aestimare licuit ex iis, quae me praesente recitasti.* Symmach. IX. 22: *quantum credo.* id. X. 45: *quantum arbitror.* Sueton. Gramm. 2: *quantum opinamur.* — Terent. Heaut. II. 3, 25: *quantum ex ipsa re coniecturam fecimus.*

Colum. I. 3 med.: *quantum mea fert opinio.* Apul. de Magia p. 333: *quantum mea opinio fert.* Ciceronis aliae eiusmodi formulae sunt (§. 63).

Additur etiam, ut sententiae primariae qualis sit quasi coartatio illa, magis appareat, pronomen personae primae, ut Terent. Eunuch. I. 2, 62: *ego quantum suspicor*, plerumque quidem ita ut medium ponatur: id. Heaut. V. 2, 31: *quantum ego intelligere possum.* id. Eunuch. IV. 1, 1: *Ita me di ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo misera ne quam ille hodie insanus turbam faciat aut vim Thaidi.* — Cic. Fam. I. 8, 5: *quantum ego perspicio.* Plin. ep. II. 7, 5: *quantum ego interpretor.* id. III. 6, 1: *quantum ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio.* Apul. de Magia p. 289 et 292: *quantum ego audio.* cf. Quintil. V. 2, 26: *quantum ego quidem sentio.*

Rarissime in eiusmodi enunciatis locum habet coniunctivus, ut Apul. de Magia p. 286: *quantum sciam*, cf. Quintil. III. 1, 19: *Romanorum primus, quantum ego quidem sciam, condidit aliqua in hac materia M. Cato.*

Quantum in me est similiaque facile ita esse explicanda censere liceat, ut significatio sit haec: quantum modo in me est. Eiusmodi autem formulae non inveniuntur, quod contra quantum quidem in me est et quae sunt generis eiusdem, non plane inusitata fuerunt. (§. 52.) Ad hanc igitur interpretationis normam ea etiam dirigenda erunt exempla, quae sequuntur: Cic. Philipp. I. 1, 1: *In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis.* Plin. ep. III. 3, 1. — Cic. Philipp. II. 34, 87: *qui locus tibi in legibus et in iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti?* Liv. II. 43, 6: *unus ille vir ipse consul rempublicam sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat.* Cic. Philipp. II. 12, 29: *Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas nemini.* id. p. Flacco 25, 61. Lactant. VI. 20, 21. Oros. V. 4. VII. 4.

Inversus in tali enunciato verborum ordo apud Ciceronem non facile invenitur. Contra Cassius scripsit ad Cic. Fam. XII. 11, 2: *nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes remque*

publicam, *quantum est in te*, *defendas* (cf. Orell.), XII. 12, 3: *Murci et Crispi imperatorum dignitatem*, *quantum est in te*, *tuere;* itemque Arnobius I. p. 40: *nec non et illos omnes — plaudentes ad coeli sustollitis sidera*, *quadrigis et statuis muneramini et*, *quantum est in vobis*, *velut quadam aeternitate donatis.*

Duabus de causis et propter praemissam sententiam secundariam (similiter et in superiore exemplo vidimus) et vero propter verbum eius omissum memorabilis locus est Ovidii Ar. amand. 3, 35: *Quantum in te*, *Theseu*, *volucres Ariadna marinas pavit*, *in ignoto sola relicta loco.*

Eadem est ratio loci illius Ovid. Ar. amand. 1, 744: *Quantum ad Pirithoum*, *Phaedra pudica fuit;* cui exemplo ne ita quidem similia habeo, ut enunciati relativi et integritas formae sit et collocatio legitima.

b) quantum = quantum modo.

Eundi, fugiendi, properandi similiumque verborum imperativis saepissime formula quantum potest a comicis adiici solet. Plaut. Menaechm. II. 3, 85: *I*, *quantum potest.* ibd. V. 2, 97: *fuge domum*, *quantum potest.* Poenul. III. 1, 64: *Propera iam*, *quantum potest.* Bacch. II. 3, 114. Menaechm. V. 2, 122.

Alia exempla sunt: Cic. ad Attic. IV. 13, 1: *rescribas ad me*, *quantum potest.* Plaut. Asinar. III. 3, 18: *nam equidem me iam*, *quantum potest*, *ab vita abiudicabo.* id. Mostell. III. 2, 71: *dare volt uxorem filio*, *quantum potest.* Terent. Adelph. IV. 7, 25. V. 7, 10 al.

Apud comicos formula etiam praemissa invenitur imperativo, ut Terent. Phormio IV. 3, 69: *quantum potest*, *me certiorem face.* Pl. Amph. III. 3, 16: *I sane et*, *quantum potest*, *parata fac sint omnia.*

Ex altero genere exempla sunt: Terent. Adelph. III. 2, 52: *tu*, *quantum potes*, *abi.* Andr. V. 2, 20: *sublimem hunc intro rape*, *quantum potes.* Plaut. II. 9, 1: *Tu*, *Machaerio*, *congrum*, *muraenam exdorsua*, *quantum potes.*

Terent. Eunuch. V. 2, 5: *Ubi vidi*, *ego me in pedes*, *quantum queo.* Andr. III. 3, 45: *Et is mihi suadet*, *nuptias*, *quantum queam*, *ut maturem.* Quos quidem locos similesque ita etiam suppleri licet, ut ex verbo sententiae primariae finito *(maturem)* audiatur infinitus *(maturare).*

Postremo addere iuvat locum Plautinum similem certe illis, quos attuli, quo loco quantum — tantum insolentius inter se opposita inveniuntur: Aulul. I. 3, 40: *postidea domum me rursum*, *quantum potero*, *tantum recipiam.*

Caput III.

In sententia secundaria exceptio est, qua primaria actio aut parte quadam minuatur aut plane tollatur.

A. Talis fit exceptio ut parte quadam minuatur actio primaria.

1. Apertissima haec ratio sententiarum est, si enunciatum secundarium formulis in- 67.
ducitur, quales sunt excepto quod —, excepto si —, excepto ne —, quae quidem quasi ex genere, quod contineatur primario enunciato, speciem quandam eximendam esse demonstrant. Ex his formulis, quarum tamen usus non est nisi scriptorum eorum, qui post Ciceronem exstiterunt, maxime vulgaris illa est, quam primo loco attulimus. Non autem ea eius conceptio est sola, quam dixi, sed dilatata est etiam modis duobus, ut et excepto eo quod et excepto uno quod inveniantur. Ceterum simpliciorem si formam habeat, poetis quidem aliam etiam eius rationem esse usitatam reperimus, quae huc non pertineat (§. 73 not. 13.).

Plin. ep. VIII. 1, 1: *Iter commode explicui*, *excepto quod quidam ex meis adversam valetudinem fervescentibus aestibus contraxerunt.* Senec. controv. I. 1 p. 79: *Infelicissimam*

ambo et tristissimam egimus vitam, excepto quod *alter alterum egentem vidimus.* Quintil. IX. 4, 79: *Et quidem Ciceronem sequar,* excepto quod *pes mihi tris syllabas non videtur excedere, quamquam ille paeone dochmioque, quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur.*

Senec. controv. II, 10 p. 155: *Hanc certe controversiam ante Arellium Fuscum declamavit, ut mihi videbatur, longe ingeniosius,* excepto eo quod *sine certo ordine per locos discurreret.* Senec. epist. 25, 2: *Nec de altero quidem satis fiduciae habeo,* excepto eo quod *adhuc peccare erubescit.* Gaii Instit. III. 167: *Communem servum pro dominica parte dominis acquirere certum est,* excepto eo quod *uni nominatim stipulando aut mancipio accipiendo illi soli acquirit.* Cod. Iustin. II. 9, 5: *Et hoc est, quod dicitur per extraneam personam nihil acquiri posse.* excepto eo quod *per liberam personam placet — acquiri possessionem secundum divi Severi constitutionem.*

Senec. controv. I. 1 p. 74: *infelicissimam ambo egimus vitam,* excepto uno quod *alter alterum egentem vidimus* (cf. supra eiusd. controv. I, 1 p. 79).

Pers. sat. 5, 89: *Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,* excepto si *quid Masuri rubrica vetavit?* Quintil. VIII. 3, 38: *Sed ne inornata sunt quidem, nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem,* excepto si *obscoena nudis nominibus enuncientur.*

Formulae eius, quam tertio loco posuimus, simplicis quidem exemplum in promptu nobis non est. Dilatata quodammodo usus est Quintilianus V. 12, 14: *Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco — an summo — an partita primo summoque —? an a minimis crescant? Quae, prout ratio causae cuiusque postulabit, ordinabuntur,* uno *(ut ego censeo)* excepto ne *a potentissimis ad levissima decrescat oratio.* Ubi negantis particulae notio quae sit apparet. Sensus enim formulae hic agnoscitur: *in quo tamen cautio est ne — decrescat oratio.*

68. 2. Similis ratio et usus est verborum extra quam connectendo quidem secundario cum primario enunciato inservientium. Quo munere illa et coniuncta funguntur cum particula conditionali, ut formula exsistat extra quam si, et vero etiam sola, ut coniunctionis instar habenda sint. Utriusque usus exempla cum alia tum Ciceronis et Livii allata invenies in Forc. Lex. et in Handii Tursell. II. 681.

Unum addimus Ciceronianum: de Rep. I. 6, 10: *Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod negant sapientem suscepturum ullam reipublicae partem,* extra quam si *eum tempus et necessitas coegerit?*

69. 3. Multo saepius tamen hoc genus enunciatorum primario adhaerescentium voce, quae est praeterquam, induci solet, modo sola, ut coniunctionis vicibus fungatur, modo cum aliis coniunctionibus copulata. Ex quo formulae exsistunt primum praeterquam quod, iam ab Handio IV. 549 allata, deinde praeterquam si et praeterquam ut, a viro docto illo, nescio quo modo, praetermissae.

Liv. XXXIV. 48, 5: *Omnia cum approbatione ingenti sunt audita,* praeterquam, *cum ad mentionem Nabidis ventum esset, id minime conveniens liberanti Graeciam videbatur, tyrannum reliquisse.* Plin. H. N. XX. 42: (asparagi) *urinam cient utilissime,* praeterquam *vesicam exulcerant.*

Peculiaris est ratio verborum praeterquam qui (h. e. praeter eos, qui) similiumque. Liv. XXV. 10, 7: *Convenere omnes,* praeterquam qui *cedentes in arcem Romanos ad omnem adeundam simul fortunam prosecuti fuerant.* cf. Hand. IV. 548. Ex quo genere etiam ille est locus Livianus, ubi formulae partes non disiunctas solum sed etiam mirum in modum inversas vides IV. 48, 3: *nec enim ferme quidquam agri — non armis partum erat nec,* quod *venisset adsignatumve publice esset,* praeterquam *plebs habebat* h. e. nec plebs habebat (quidquam agri) praeterquam quod venisset —. Ad quem locum num quid recentiores contulerint interpretes aliter constituendum casu fit ut dicere non possim. Madvigius quidem in Emend. Livian. p. 104 cum de verbis disputaret hanc interpositionem includentibus, eius ipsius rationem non habuit.

Liv. XXIV. 49, 7: *In Hispania nihil memorabile gestum, praeterquam quod Celtiberum iuventutem — imperatores Romani ad se perduxerunt.* Disiunctae inveniuntur formulae partes Terent. Heaut. II. 4, 19.

Liv. XXXVI. 4, 10: *de classe Karthaginiensibus remissum, praeterquam si quid navium ex foedere deberent.* id. XXXVIII. 11, 4: *perfugas, fugitivos captivosque reddito Romanis sociisque, praeterquam si qui capti, cum domos redissent, iterum capti sunt.* Gaii Inst. II. 47 Goeschen: *Item mulieris, quae in agnatorum tutela erat, res mancipi usucapi non poterant, praeterquam si ab ipsa tutore auctore traditae essent.* id. III. 24: *ut nec inter matrem et filium filiamve ultro citroque hereditatis capiendae ius competat, praeterquam si per in manum conventionem consanguinitatis iura inter eos constiterint.* Similiter iudicandus est locus Plin. H. N. VIII. 25, 39: *hippopotamus tergoris impenetrabilis, praeterquam si humore madeat;* ubi Forcell. verba illa, quae quaerimus, idem valere censet quod maxime si.

Tertiae formulae unum solum exemplum habeo Liv. IV. 4 f.: *Nec quod nos ex connubio vestro petamus, quidquam est, praeterquam ut hominum, ut civium numero simus;* ubi tamen idem illa significat, quod praeterquam id ut, relata quidem ad verbum petendi, quod antecedit. Num usquam absolute etiam posita inveniatur, magna est quaestio. Nam eiusmodi exempla, quale sit: *Nemo quidquam valet in literis, praeterquam ut in iis diligentiam posuerit* (h. e. praeterquam ita ut —) et ignoro equidem nec reperiri alicubi censeo. Scribendum sit: *praeterquam si — posuerit.*

4. Plane eodem sensu quo praeterquam si apud Varronem etiam praeter si con- 70.
sociata inveniuntur. Formulae tamen, quae est praeter quod, saepius ita ut quod sit coniunctio, a recentioribus usurpatae, non est ratio ea, ut in sententiis primariam exceptione coercentibus adhibeatur, sed alia (cf. §. 73 not. 13).

Varr. R. R. I. 41, 5: *quare ex terra potius in seminariis surculos de ficeto quam grana de fico expedit obruere, praeter si aliter nequeas.*

5. Paulus Diaconus verbis, quae sunt absque eo quod, ut ultimum quidem eorum 71.
non pronomen sit sed coniunctio, ita utitur ut ab aliis excepto eo quod vidimus usurpata. Orosii eadem illa est formula, sed sensu diverso (cf. §. 73 not. 13).

Paul. Diac. 12 p. 530: *Fuit autem Theodosius — moribus et corpore Traiano similis, a quo et originem traxit. Sic eminens status, membra eadem, par caesaries, os simile, absque eo quod illi aliquantulum vellendo steriles genae neque tamen ingentes oculi erant.* cf. Ammian. XXVII. 2, 3: *quocirca forati pilis et gladiis cecidere complures, absque iis quos versos in pedes texere flexuosi tramites et angusti* (h. e. exceptis iis, quos).

6. Uno, quod sciam, Verrinarum loco sententiae primariae exceptionem a Cicerone ad- 72.
ditam videmus his verbis ad adnectendam secundariam uso: usque eo ut, disiunctis quidem. Similis est ratio verborum dumtaxat usque eo ne. Cic. p. Quintio 18, 58, de quibus tamen alibi nobis disputare aptius visum est (cf. §. 30).

Cic. Verr. IV. 43, 94: *Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius, usque eo, iudices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent.*

Eadem fortasse verborum illorum ratio esse censenda est Auct. b. Hisp. 24: *neque tamen aequo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo — excelsum tumulum capiebat, usque eo ut necessario cogeretur iniquum locum subire;* quo tamen loco corrupto quamvis veri simile sit formulae illam vim esse, pro certo affirmare non audemus.

7. Tantum quod apud Solinum, tantum quod — non apud Ciceronem inveniuntur 73.
adnectendo enunciato secundario exceptionem continenti adhibita.

Solin. 19, 19: *Eadem paene specie sunt, quos tragelaphos dicunt, sed non alibi quam circa Phasidem apparent, tantum quod illi villosos habent armos et menta promissis hirta barbis.*

Cic. Verr. II. I. 45, 116: ***Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse: tantum quod hominem non nominat.*** ibd. III. 53, 124: ***Literas ait se misisse et praesentem confirmasse, suam interposuisse auctoritatem, tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum.*** — Huius alterius quidem loci qui contextus et quae vis esset formulae Zumptius quod minus intellexit, lectionem tantummodo — non praeoptandam censuit. At enim, retentis verbis tantum quod, omnia optime se habent, quoniam sensus nimirum is est, ut sententia a formula illa incipiens et cum superiore oratione et cum iis, quae sequuntur, conveniat. Est autem hic: ***suam interposuit auctoritatem, excepto eo quod — obsides non dedit*** (h. e. quod non confirmavit obsidibus dandis) ***se — similem futurum.*** Nam accusativus quidem et infinitus ex verbis, quae sunt obsides dare, pendentes minime possunt offendere. cf. Liv. XXXIV. 35, 11: ***Obsides, ea ita futura, daret quinque, quos imperatori Romano placuisset.***[13])

B. Talis fit exceptio ut ea actio primaria plane sublata videatur.

74. Si formularum ope, quae sunt sed non —, at non —, verum non —, non tamen sententiae alicui, audito quidem eius praedicato, quod dicunt, adiungitur aliquid, hoc utique tale est, ut id unum si spectes, quae continentur sententia illa antecedente, omnino nulla esse censenda sint. Apparet enim e. g. apud Quintilianum III. 8, 35: ***Expedit, sed non nunc*** plane idem valere quod: ***Expedit, sed non expedit, si praesens tempus spectas.*** Quod minus quidem subtiliter sic etiam interpretari licebit: ***Expedit, excepto tamen tempore praesenti.*** Idem exceptionis genus, si modo dicenda est exceptio, vides apud Ciceronem Verr. V. 6, 13: ***Atque haec — facta sunt, ut homines — — exsilio levarentur, at non ab iis ipsis, qui iudicassent: at non statim: at non eorum facinorum damnati, quae ad vitam — omnium pertinerent.***

---

[13]) Ex formulis, quas supra attulimus, nonnullarum quidem etiam alii usus sunt duo, quos breviter attigisse satis erit. Ac primum quidem sunt, quae adhibeantur in protasi inducenda. Ita inter se respondent

excepto quod —, praeterea (caetera)

praeterquam quod —, etiam (quoque, praeterea, ne — quidem, caeterum) itemque: ***praeter quod —, etiam (tùm etiam)***

quo de genere accuratius expositum est in Handii Turs. IV. 543, 544 et in libro meo de stilo Latino p. 231.

Alter usus is est, ut a superiore, sententiarum vim et naturam si spectes, nihil fere differat nisi partium comprehensionis collocatione. Nimirum adhaerescit quidem enunciato primario secundarium, non ita tamen ut ei exceptionem aliquam addat sed ut rei alicuius accessionem, quam quidem fieri consentaneum sit. Nos convertimus: abgesehen davon dass, ungerechnet dass, dss zu geschweigen dass. Ex hoc genere sunt:

excepto eo quod: Oros. II. 14 init.: ***Sicilia ab initio patria Cyclopum et post eos semper nutrix tyrannorum fuit, saepe etiam captiva servorum —, excepto eo quod externis bellis aut praeda habebatur aut praemium.***

praeterquam: Plaut. Mercat. I. 1, 92: ***Rhodum venimus, ubi, quas merces vexeram, omnes, ut volui, vendidi ex sententia; lucrum ingens facio, praeterquam mihi meus pater dedit aestimatas merces: ita peculium conficio grande.***

praeter id quod: Quintil. V. 10, 45.

absque eo quod: Oros. VI. 22 f.: ***quoniam ab initio et peccare homines et puniri propter peccata non tacui, nunc quoque quae persecutiones Christianorum actae sint et quae ultiones secutae sint, absque eo quod omnes ad peccandum generaliter proni sunt —, expediam.***

Idem Orosius, quod ab Handio in v. absque praetermissum in transcursu addere liceat, solet hanc praepositionem, adiuncto ablativo, plane eodem sensu quo formulam illam sententiae primariae adiicere. VI. 19: ***ducentae triginta rostratae fuere Caesaris naves et triginta sine rostris, triremes velocitate Liburnicis pares et octo legiones classi superpositae. absque cohortibus quinque praetoriis.*** Similiter II. 16. V. 9. 16. 22. 24. VI. 15. VII. 27. 35 f.

cf. §. 97 not. 15.

Possum eiusmodi exempla facile etiam plura addere, sed non necesse est; quam enim eiusdem sententiae membrorum intelligi rationem velim, nemo est qui non videat. Haec eadem igitur ratio si inter sententiam primariam eique adhaerescentem intercedit secundariam, quae illa efferuntur, hac tolli quodammodo certum est. Atque hoc est alterum illud genus exceptionis, quod iam supra (§. 4) paulo accuratius definire sonati sumus. Ex quo genere primum eae sunt sententiae secundariae, quae aut a formulis, quas modo enumeravi, addita quidem coniunctione, aut a negatione sola coniunctioni quidem antecedente incipiant, deinde eae, quae vel nisi vel ni particula inducantur (cf. §. 78 sq.).

1. Sed non ut apud Horatium, sed non si apud Senecam philosophum inveniuntur 75.
sic copulata ut ea si explere velis, sententiae primariae verbum adiungi particulae negativae oporteat. Formularum, quae sunt at non et verum non interioris eiusmodi cum aliqua coniunctione societatis exempla non habemus, sed tamen ea, quae quominus talia afferri possint, nihil nisi aut usum, qui fuerit, non rationem, aut maiorem nostram in colligendis illis incuriam obstitisse demonstrent. Ceterum quod, quae sunt diversi ordinis sententiarum partes, ita eas comprehendimus, ut formulas esse dicamus inducendis enunciatis secundariis inservientes, hanc rem iam supra (§. 6) satis excusasse videmur.

Hor. A. P. 9: *Pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim: sed non ut placidis coeant immitia, non ut serpentes avibus geminentur, tigribus agni* (h. e. sed non petimus damusque ita ut —).

Senec. benef. IV. 39, 2: *surgam ad sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxerim: sed non si febricitavero. Sponsum descendam, quia promisi: sed non si spondere in incertum iubebis, si fisco obligabis.*

Legitur apud Ciceronem Invent. II. 58, 176: *ad hostes transire turpe videtur esse, at non illo animo, quo Ulixes transiit: et pecuniam in mare deiicere inutile, at non eo consilio, quo Aristippus deiecit.* Ubi vides facile etiam scribi potuisse: *at non ut — transiit, at non ut — deiecit.*

Quintil. VIII. prooem. 33: *Ea debent praestare sine dubia et admirabilem et iucundam orationem: verum admirabilem, non sic quomodo prodigia miramur, et iucundam, non deformi voluptate.* Ubi si in sententia primaria orationem modo admirabilem auctor dixisset, ita ei pergere licuit, ut adderet: *verum non sic quomodo prodigia miramur* vel: *verum non ut — miramur.*

2. Saepius multo secundariae sententiae exceptionem quidem continentes ita primariis 76.
adnectuntur, ut incipiant a verbis non tamen sic ut vel non tamen ut vel etiam, particularum secundae et tertiae inversione facta, non ut tamen. Quae quidem verborum conceptio ultimo loco allata Ciceroniana est, sed ut particula adversativa disiungatur primum a reliquis duabus partibus, deinde ut enunciato huius formulae ope adnexo aliud eiusdem ordinis enunciatum opponatur, incipiens quidem a verbis sed ut. Postremo non plane supervacaneum est monere, si in formulis illis, quas attuli, pro negatione simplici vel nec vel neque particula adhibeatur, non eundem earum usum esse. Non enim nisi ut — nec tamen ut similiaque inter se opposita inveniuntur, ut in his exceptionem illam, quam quaerimus, minime esse intelligendam appareat.

Plin. ep. II. 11, 18: *Huius actionem vespera inclusit, non tamen sic ut abrumperet.* Ubi quin scribi etiam licuerit *non tamen ita ut* nemo dubitabit. Quamquam eiusmodi exempla mihi non sunt in promptu. cf. Lactant. VII. 3, 11: *Non perspexerunt, divinum quidem spiritum esse ubique diffusum eoque omnia contineri, non tamen ita ut deus ipse, qui est incorruptus corruptibilibus elementis misceatur;* qui quidem locus cum usu eo, in quo exquirendo versamur,

non plane congruit, non nimis tamen longe ab eo abest. Apparet autem non sententiam sententia hic coerceri sed inter se eas opponi (Etsi — tamen), cf. infra Cic. Harusp. resp. 22. 46.

Plin. ep. I. 6, 1: *Ridebis et licet rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres et quidem pulcherrimos cepi: Ipse? inquis: Ipse, non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam.* Liv. XXXV. 5, 9: *Haec procella equestris primo confudit et turbavit, deinde dissipavit aciem Gallorum, non tamen ut terga darent.* Solin. 53, 17: *Quodsi etiam ipse* (rex) *in peccato aliquo arguitur, morte mulctatur: non tamen ut cuiusquam attrectetur manu, sed consensu publico rerum omnium interdicitur et facultas.*

Cic. Orat. 4, 14: *Positum sit igitur in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem, non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet, ut palaestra histrionem* (h. e. non sic tamen ut — sed ut). Orat. III. 48, 184: *Liberior est oratio et plane, ut dicitur, sic est vere soluta, non ut fugiat tamen aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur.*

Eius generis annexionis, quod a re nostra alienum dixi, exempla haec sunt: Liv. IX. 20, 8: *id audacter spondendo impetravere, ut foedus daretur neque ut aequo tamen foedere, sed ut in ditione populi Romani essent* (al. l. *neque tamen ut aequo —).* Cic. Fin. III. 6, 22: *Cum vero illa, quae officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturae, ea necesse est ad haec referri, ut recte dici possit, omnia officia eo referri ut adipiscamur principia naturae nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum.* Inclinatius tamen ad eum usum, de quo disputamus, hoc exemplum videtur esse: Cic. Harusp. resp. 22, 46: *eas habet conciones, ea miscet ac turbat ut se modo his, modo vendat illis, nec tamen ita ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet, sed ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant vituperari* (cf. se modo his modo vendit illis, nec tamen ita vendit ut —).

77. 3. Omissa quidem particula adversativa, nec ita ut apud Quintilianum eodem fere sensu quo non ita tamen ut occurrunt, sed semel.

Nec plus singulis locis aliae inveniuntur formulae, item parte illa adversativa carentes sed simplici negatione inductae, quae sunt non ut —, non quia —, non quidem si —. Quas formulas habere dubitationem quandam negare non possumus. Quamquam enim pauculis iis locis, quos allaturi sumus, ita eas iudicari auctores voluerunt, ut iudicamus, partis tamen illius, quam dixi, societate destitutae, in se nihil omnino habent, quo ad orationem referri antecedentem debeant. Maior etiam dubitatio exsistit in genere bipartito, quo sententiae binae ita ad primariam aliquam respiciunt, ut particularum paribus, qualia sunt non ut — sed ut, non quia — sed quia similiave, inter se opponantur. Multo magis enim haec ipsa oppositio in iis spectanda videtur esse quam membri prioris ad sententiam primariam relatio. Quamquam eam non plane negligi posse apparet.

Quintil. VIII. 6, 74: *Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita ut mendacio fallere velit.*

Hor. A. P. 256: *spondeos stabiles in iura paterna* (iambus) *recepit commodus et patiens, non ut de sede secunda cederet aut quarta socialiter;* quae sunt Hochedero interprete: *sed non tam patiens ut.* — Melius erit ita interpretari: *non tamen sic recepit ut* — ut ille et recepisse et certo quodam modo non recepisse censendus sit.

Bipartiti illius generis ultimo loco commemorati hoc est exemplum: Quintil. I. 8, 13: *deprehendat, quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur poetae — sed ut* (h. e. non ita tamen ut —), cui alia cur addantur similia, quae multa sunt, non est profecto. Hoc dico, rationem eam, quae inter secundariam sententiam priorem et inter primariam intercedat, planius paulo monstrari videri hoc loco: Cic. Fam. I. 7, 7: *quorum malevolentissimis obtrectationibus nos scito de vetere illa nostra diuturnaque sententia prope*

iam esse depulsos, non nos quidem ut nostrae dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis (h. e. non ita quidem ut nos).[14])

Senec. benef. IV. 39, 2: *Ad coenam quia promisi, ibo, etiamsi frigus erit: non quidem si nives cadent: Surgam ad sponsalia — sed non si —; sponsum descendam —, sed non si* (cf. §. 75).

Formulae, quae est non quia, semel quidem positae ea vis est, ut actio enunciato primario elata, si certam quandam eius causam haberi volueris, nulla esse existimanda sit. Cum enim dicimus: *Vituperavi te, non quia te odi* (h. e. non tamen eo quia te odi), hoc dicimus: *et vituperavi te et tamen odio* (h. e. odium si vituperandi causam fuisse censeas) *non vituperavi.* Similiter igitur ille diiudicandus erit locus Quintilianeus X. 7, 19: *credendum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant* (womit ich indess nicht sagen will, dass heut zu Tage jenes nicht auch oft genug vorkomme) h. e. Ciceronem auctorem habeo, non eo tamen quia auctore antiquiore opus est. cf. id. VI. 3, 18. IX. 2, 61. Talium locorum, ubi non quia — sed quia et quae sunt alia generis eiusdem, inter se opposita videamus, plura exempla affert Handius IV. 278.

4. Iam ad vocem maxime in hoc genere pervulgatam, quae est nisi, transeundum est. 78.
Cuius cum varia multiplexque sit ratio, reliquis omnibus, quae ad eam pertineant, omissis, unus hic usus spectandus erit, qui tamen facile haberi poterit principalis, quo sententiae a voce illa incipientes subsequi primariam aut debeant aut certe consuerint. In quo nisi idem valet quod non tamen, si —, ut, quae modo esse dicta sint, certa quadam conditione non esse appareat. E. g. *Faciam, nisi tu nolueris* h. e. *faciam; non tamen* (faciam), *si tu nolueris.* In quaestione autem paulo accuratius iam instituenda duo potissimum locorum genera oportebit disiungi, alterum eorum, ubi nisi cum suo verbo inveniatur copulata, ut in exemplo eo, quod modo finximus, alterum eorum, ubi adverbii instar habenda sit consociata quidem aut cum coniunctione aliqua aut cum pronomine relativo. In quo tamen altero genere, si quaeritur, ellipsis quaedam agnoscenda est. Cum enim dicimus e. g. *Hoc est nisi quod —*, hoc dicimus: *Hoc est, non est tamen, si est quod* — (h. e. *si reputamus quod* —, aber nicht in sofern als). Ceterum in vocis illius usu et varietate quoniam Handius non mediocri diligentia versatus est, nulla hoc loco accuratius exponam, nisi quae ab illo aut casu omissa sint aut, nescio quo modo, minus recte videantur iudicata.

a) nisi cum suo verbo copulatur.

α) Ex magno numero exemplorum huc pertinentium quod certa modo genera et quae 79.
peculiare quid habeant, proferri est consentaneum nec quidquam refert, quo ea ordine proferantur, primum prodire iubeamus id genus, quod in iureiurando quodam vulgare est. Intelligi autem illud volo, quod verbis Moriar, nisi —, Peream, nisi — similibusve concipiatur. Quibus in formulis quod negat Handius IV. 229 apud melioris notae scriptores nisi vocem locum habere solere pro eaque, si occurrat alicubi, ni ponendam esse, quae quidem valeat idem, quod si non formula in hoc genere poetis consueta, nisi vim quandam ipsis auctoribus inferri licere censueris, non facile concedes.

Exempla vide apud Handium l. c.

β) Et quoniam a iurisiurandi cuiusdam ratione initium dicendi sumtum est, addatur 80.
altero hoc loco id genus orationis, in quo minae insint atque exsecratio. Solet autem ita esse

---

[14]) Hanc verborum societatem similesque etiam in aliis sententiarum inter se oppositionibus Cicero habere solet, ut ad Fam. I. 9, 10: *sic me praesente osculabantur, non illi quidem ut mihi stomachum facerent sed certe ut facere se arbitrarentur.* Philipp. II. 42, 107: *effecisti non tu quidem etiam nunc ut sit similis tui, sed certe ut dissimilis esset sui.*

constitutum, ut sententia primariae adhaerescens aut a simplici voce, quam quaerimus, aut a formulis, quales sunt: nisi hunc iam —, nisi hodie —, nisi te hodie —, incipiat. Atque hic quidem usus Plauti est.

Plaut. Mostell. I. 3, 35 Ritsch.: *Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant, nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu.* cf. Hom. Iliad. 5, 214 εἰ μὴ ἐγὼ —. Cic. Verr. IV. 39, 85: *quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam, moriere virgis, nisi signum traditur.*

Plaut. Capt. III. 5, 91: *Peristis, nisi hunc iam e conspectu abducitis.* Similiter Liv. I. 28, 6: *Audeat deinde talia alius, nisi hunc insigne iam documentum mortalibus dedero.*

Plaut. Epid. I. 2, 18: *quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo, nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas quam argenti fuero elocutus et postremam syllabam.* id. Pers. II. 4, 21: *Di deaeque me omnes perdant, nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.*

Ceterum apud eundem inversus etiam sententiarum ordo invenitur, ut *Nisi —, iam:* Curcul. IV. 4, 19. Bacch. IV. 7, 27. *Nisi hodie —,* Pseudol. I. 2, 96.

81. γ) Separatum quoddam genus est illud subiectionis, ex duabus quidem partibus conflatum, quarum quod altera concessum sit adversario, altera rursus rescindatur. Ex hoc genere formulae sunt: Vero, nisi —, Certe, nisi —, Credo, nisi — (cf. supra §. 62).

Cic. p. Murena 31, 65: *„In sententia permaneto." Vero, nisi sententiam alia vicerit melior.*

id. Fin. II. 27, 91: *Naturales divitias dixit parabiles esse. Certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis.*

id. Cat. M. 7, 21: *At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas aut si sis natura tardior.*

Similiter: Serv. ad Ciceron. Fam. IV. 5, 3: *„At vero malum est liberos amittere." Malum, nisi hoc peius sit, haec sufferre et perpeti.*

82. δ) Formula est Quintilianea nisi quis dicit etiam, qua ille usus argumentandi causa transit ad similitudinem.

Quintil. III. 2, 2: *Haec enim ut honestior causa, ita non utique prior est, cum praesertim accusatio praecedat defensionem: nisi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius, qui ferrum in tutelam sui quam qui in perniciem alterius compararit.*

Ad quod exemplum etsi alia addere non possum, non tamen solitarius hic usus habendus est. Ex eodem enim sunt genere illa, nisi quod sunt affirmantia quaedam: *ut si quis dicat* Auct. ad Herenn. II. 26, 41, *ut si diceret* Lactant. VI. 5, 12, *quasi cum dicimus* Auct. ad Herenn. 30, 49, *tanquam cum dicimus* Senec. contr. III. 18 p. 226, *similiter et si dicas* Cic. Fin. II. 7, 21 al.

83. ε) Memorabilis deinde is in dialogo usus videtur esse cum aliorum tum Ciceronis, quo si quis sententiam suam aut fusius exposuerit aut paucis commemoraverit, priusquam pergat de re eadem aut simili, ad alterum se convertat, orationi suae haec verba adnectendo: nisi quid vis ad haec, nisi quid ad haec forte vultis, nisi quid habes ad haec, nisi quid aliud tibi videtur aliave generis eiusdem. Quibus cum ille uti videatur cum exspectatione quadam eorum, quae alter sententiae suae sit obiecturus, si accuratius quaerimus, in formulis illis fere ubique mera inesse urbanitas censenda est. Omnium enim prope locorum huc pertinentium ea est ratio, ut is, qui loquitur, de alterius consensu persuasum habere possit. Et exhibetur hic consensus locis paene omnibus, nonnullis etiam ita, ut illius, qui rem exposuit, magna cum laude coniunctus sit. Ceterum Cicero quidem in disputationibus ad philosophiam pertinentibus cum diutius in orationis perpetuitate quadam versatus sit, eo potissimum consilio

his formulis uti videtur ut interdum ad dialogi consuetudinem redeat, nonnunquam etiam eo, ut callide ad novum aliquem disputationis locum sibi paret transitionem. Quod si spectat, alterum simul et consentientem de iis, quae dicta sint, et aliud facere solet quaerentem.

Terent. Heaut. V. 1, 62: *Quid hoc quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est quod mavis. Ch. Imo et gener et affines placent.* cf. id. Andr. V. 4, 47.

Cic. Tusc. II. 18, 42: *De exercitatione et consuetudine et commentatione dixi. Age sis, nunc de ratione videamus, nisi quid vis ad haec. A. Egone ut te interpellem? ne hoc quidem vellem* (h. e. dicere, quod dixi, nisi me interrogasses): *ita me ad credendum tua ducit oratio.* id. Lael. 9, 32: *Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte vultis. F. Tu vero perge, Laeli; pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo. Sc. Recte tu quidem: quamobrem audiamus.* id. Tusc. I. 23, 55: *Sentit igitur animus se moveri: quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri nec accidere posse, ut ipse unquam a se deseratur. Ex quo efficitur aeternitas, nisi quid habes ad haec. A. Ego vero facile sum passus, ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire: ita isti faveo sententiae. M. Quid illa tandem num leviora censes —?*

Tusc. III. 4, 7: *nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non satis usitate; nisi quid aliud tibi videtur. A. Mihi vero isto modo. M. Haeccine igitur cadere in sapientem putas?* Similiter Liv. XXXIX. 39, 6: *deinde ut ex auctoritate senatus idem faceret, convocatis patribus, referre se ad eos dixit —, sibi, nisi quid aliud iis videretur, in animo esse e lege comitia habere. Patres censuerunt, uti L. Porcius consul cum Q. Fulvio ageret, ne impedimento esset, quominus comitia — e lege haberentur.* Ubi eadem illa consensus ratio agnoscenda est.

Simul et consentiri ab altero et quaeri videmus Cic. Legg. I. 2, 7: *Quare tuum est munus, hoc a te exspectatur: nisi quid Quinto videtur secus. Q. Mihi vero nihil: et saepe de isto collocuti sumus. Sed est quaedam inter nos parva dissensio. At. Quae tandem?* — Similia habet Horatius in Sat. II. 1, 78 —: *nisi quid tu, docte Trebati, dissentis. — Equidem nihil hinc diffingere possum; sed tamen ut monitus caveas, ne forte* — ubi oratione ad alterum convertenda id certe efficitur ut malorum carminum mentio fiat ambigua eoque hilariter atque facete satira finiatur. — Interpositam orationi formulam habes ap. Cic. Tusc. V. 28, 82: *Habes, quae fortissime de beata vita dici putem et, quomodo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime. A. Melius equidem afferre nihil possum: sed a te impetrarim libenter, ut, nisi molestum sit, quod paulo ante Peripateticos veteremque Academiam hortari videbare ut libere dicere auderent, sapientes semper esse beatissimos, id velim audire, quemadmodum his putes consentaneum esse id dicere.*

Eadem urbanitate quasi colorata oratio est in extrema literarum parte ap. Plin. IX. 39, 6: *Est ultra viam latissimum pratum, in quo satis apte contra templum ipsum porticus explicabuntur: nisi quid tu melius inveneris, qui soles locorum difficultates arte superare. Vale.* Quamquam ille per me licet ita interrogasse (interrogatio enim inest in formula) videatur, ut nesciret quid alter esset responsurus.

Locis illis Ciceronianis per speciem quidem repugnat hic: Tusc. I. 17, 39: *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse. Quam, nisi quid dicis, praetermittamus et hanc totam spem immortalitatis relinquamus. A. Ain tu? cum me in summam exspectationem adduxeris, deseris? Errare mehercule malo cum Platone — quam cum istis vera sentire. M. Macte virtute! ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim —;* ubi tamen in verbis *quam praetermittamus — relinquamus* apparet inesse simulationem. Nam quod ait *nisi quid dicis* (h. e. contra dicis), dicturum hoc esse alterum praevidet eoque effecturum ut sibi occasio praebeatur ad eam disputationem transeundi, quam ad excutiendam rem eam, de qua coeperit disserere, necessariam esse ipsi persuasum est.

Ceterum cum formulis his, quas quaerimus, facile aliae comparari possunt, quae insertae quidem orationi eandem fere habent urbanitatem. Ex quo genere sunt: *nisi molestum est* Hand. VI. 230. *nisi alienum putas* Cic. Fin. III. 4, 14. *nisi quid te detinet* Hor. Epist. I. 2, 5, quo acce-

dant etiam conditionales velut *si vacas animo* Cic. Divin. I. 6, 10. *si grave non est* Hor. Sat. II. 8, 4 al.

Rarissimi sunt loci, ubi, alter cum tali formula usus sit, quales vidimus supra, alter id, quod requirat in illius oratione, directe dicat, ut Cic. Orat. Part. 37, 131: *Expositum est, ut potui brevissime, de omni contraversiarum genere, nisi praeterea tu quid requiris. C. F. Illud equidem, quod iam unum restare video, quale sit, cum disceptatio versatur in scriptis.* Qui locus eo etiam animadvertendus est quod ibi nisi — quid inveniuntur disiuncta. cf. id. Legg. I. 4, 13.

84. ζ) Iam enumerandae erunt eae dicendi formulae, quae ex hac voce aliisque particulis conflatae partim omnium temporum probentur consuetudine, partim alia aetate aliae in usu si non quotidiano at certe singulorum fuisse scriptorum videantur. In quo quae in Tursellino satis accurate inveniuntur exposita, quoniam nihil profecto tam odiosum esse potest quam quae docta videri velit rerum notarum ruminatio, hic mittenda aut summum paucis erunt attingenda.

αα) Nisi forte. Hand. IV. 231. Addimus primum, hanc formulam a Cicerone et Quintiliano nonnullis locis cum leni quadam ironia adhiberi in similitudinibus argumentandi causa inducendis; deinde, pronomine quod est aliquis vel quis adiuncto, a Lactantio formulam illam servari integram, ut verborum sit ordo aut hic: nisi forte aliquis aut hic: nisi forte quis, a Cicerone contra aliisque illa interposito pronomine concipi solere sic: nisi quis forte; tum copulatam cum coniunctione aliqua formulam rarissime inveniri nec mihi tale quid notum esse praeter haec duo, quae sunt: nisi forte ut et nisi forte cum, quarum quidem altera illa verborum societas Ciceronis, altera est Orosii, utraque tamen locis singulis. Denique hoc commemoramus, formulam, quae est nisi fortasse, non modo comicorum esse, ut ait Handius II. 728, sed etiam Sulpicii Severi.

Quintil. II. 3, 6: *nemo sic in maioribus eminet, ut eum minora deficiant, nisi forte Iovem quidem Phidias optime fecit, illa autem. quae in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaborasset — —.* id. I. 10, 6: *Similiter oratorem non geometres faciet aut musicus quaeque his alia subiungam, sed hae quoque artes, ut sit consummatus, iuvabunt, nisi forte antidotum quidem atque alia, quae morbis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis quoque inter se effectibus componi videmus, quorum ex diversis fit illa mixtura una, quae nulli earum* (cf. Spald.) *similis est, quibus constat, sed proprias vires ex omnibus sumit, et muta animalia mellis illum inimitabilem humanae rationi saporem vario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio — pluribus artibus eget —.* Cic. de Harusp. Resp. 18, 39: *nisi forte in tragoediis —.*

cf. Auct. ad Herenn. IV. 4, 6: *sunt enim multa laboriosa, quae si faciatis, non continuo gloriemini: nisi forte etiam, si vestra manu fabulas aut orationes totas transscripsissetis, gloriosum putaretis* (lect. incert.).

Lactant. I. 13, 1: *nisi forte aliquis existimet.* id. VI. 22, 1: *nisi forte quis exigit.* id. de Ira 10, 35: *nisi forte quis arbitretur —.*

Cic. divin. in Caecil. 15, 49: *nisi quem forte.* — Plin. ep. VII. 20, 6: *nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus* (est).

Cic. Tusc. II. 23, 56: *nisi forte ut —.* Oros. 4, 1: *nisi forte cum —.* Locos hos exscriptos invenies §. 98. 99.

Sulpic. Sever. Dialog. III. p. 576: *Fertur enim ille vir — adversus avaritiam parum consuluisse: nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus reipublicae aerario, facile excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia imperio paravisse.* Ubi sententiam secundariam omnibus partibus integram habes. Alia est ratio locorum ab Handio allatorum.

85. ββ) Nisi vero Hand. V. 233. Coniunctio his verbis semel addita conditionalis invenitur apud Ciceronem; quod contra nisi vero quod —, nisi vero ut — similiaque nec ab

illo nec ab alio aliquo videntur esse copulata. Ceterum fere eodem sensu formulae sunt nisi sane et nisi profecto, in Tursellino praetermissae.

Cic. Catil. II. 4, 6: *Quod exspectavi, iam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte coniunctionem contra rempublicam videretis; nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet.*

Terent. Hecyr. I. 2, 117: *quid egerint inter se, nondum etiam scio, nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet.* cf. Minuc. Fel. Oct. 31, 10: *vos enim nec invicem agnoscitis et in mutua odia saevitis nec fratres vos, nisi sane ad parricidium, recognoscitis.*

Gell. N. A. I. 3, 3: *Ego certe in hoc quidem tempore non fallo me, nihil esse quidquam commissum a me, cuius memoria rei aliquid pariat aegritudinis: nisi profecto illud unum sit, quod rectene an perperam fecerim, nondum mihi plane liquet.* cf. librum meum de Stil. lat. p. 38.

γγ) Nisi quidem a Plauto iunguntur (Hand. IV. 255), rarissime tamen ita ut eius- 86.
modi sententia primariae addatur coercendae eoque verba illa idem significent quod non quidem, si —.

In dialogo quae alter locutus sit, ab altero ita videmus coerceri: Plaut. Trinum. IV. 3, 55: *St. Da magnum malum. Ch. bene mones; ita facere certum est. St. nisi quidem es obnoxius* (h. e. quasi subiectus servo tuo. Weise).

δδ) Nisi saltem a Frontone et Augustino consociata sunt, sed locis singulis. Quod 87.
contra nisi certe copulatio nulla videtur esse, ne Frontonis quidem, cui tamen si certe verba coniungere placuisse supra (§. 53) vidimus.

Fronto epist. ad Antonin. 3: *immemor amicitiae* (sim), *nisi saltem deprecando sublevem.* Augustin. de civit. dei II. 22, 2: *Tunc enim tota urbe in hostium potestatem redacta, solus collis Capitolinus remanserat; qui iam ipse caperetur, nisi saltem anseres, diis dormientibus, vigilarent.*

εε) Nisi scilicet ab uno, quod sciam, Gaio connexa sunt, qui idem nisi quod sci- 88.
licet habet copulata. Reliquae eiusmodi particulae, quae sunt videlicet, nimirum, nempe, quippe, nullam cum voce illa ineunt societatem.

Duo modo Gaii loci sunt huc pertinentes I. 141 Goesch.: *Ac ne diu quidem in eo iure detinentur homines, sed plerumque hoc fit dicis gratia uno momento, nisi scilicet ex noxali causa mancipentur.* I. 68 (cf. infra §. 97).

Ceterum mirari satis non queo, quod, cum ut, quia aliisque coniunctionibus particulae illae multis locis inveniantur adiectae, ab enunciato conditionali eiusmodi additamenta prope aliena sunt. cf. Gaii Inst. I. 44. III. 122. Hor. Sat. II. 5, 87. Qua tamen cum paucitate exemplorum optime illa convenit, quam ad stabiliendam formulam eam, unde sumus profecti, afferre potuimus.

ζζ) Nisi potius verba et in formulae quasi corpus coaluerunt et inveniuntur disiuncta, 89.
qui tamen uterque usus et rarus est nec Ciceronis. Apud Quintilianum etiam nisi forte — potius in eodem enunciato reperiuntur; aliarum tamen particularum aut interpositarum formulae, quam illic forte sedem habet, aut adiunctarum exempla nulla sunt. In quo, ut alia mittam, illud certe mirum videri debet, quod nisi potius etiam copulata nullo loco occurrunt. Nam et nisi etiam vulgare est (cf. §. 94) et potius etiam itemque etiam potius a Cicerone iunguntur: p. Cluent. 62, 172. Verr. III. 46, 109. — p. Milon. 19, 52.

Quintil. IX. 4, 101: *Minus gravis erit spondeus, praecedente pyrrchichio — et adhuc peius priore paeone, ut Brute, dubitavi: nisi potius hoc esse volumus dactylum et bacchium.*

Plin. ep. I. 15, 4: *Potes apparatius coenare apud multos, nusquam hilarius, simplicius, incautius. In summa, experire: et, nisi postea te aliis potius excusaveris, mihi semper excusa;* ubi etiam sententiarum dispositio animadvertenda est.

Quintil. X. 3, 31: *Illa quoque minora — non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget.*

90. ηη) Nisi tamen (Hand. IV. 237. 238) formula est optimis auctoribus usitata. Plinius quidem epistolarum scriptor locis nonnullis ut coniunctionem vel quod additam habet, ut ampliores exsistant particularum conceptiones: nisi tamen ut et nisi tamen quod vel, quem ordinem Schwarzius putat rectiorem, nisi quod tamen.

Cic. ad Attic. V. 14, 3: *Nihil mihi gratius facere potes, nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quae tibi mandavi, confeceris.* Alia eiusmodi exempla Handius l. c. affert satis multa.

Plane alius est usus, quo etiamsi —, (nisi) tamen, aut quidem —, (nisi) tamen inter se respondent, ut Quintil. VII. 3, 26. IV. 2, 95. 96 cf. libr. m. de stilo lat. p. 247. 248; quem usum verbo hic attigisse satis est.

Plin. ep. IX. 39, 5: *Quantum ad porticus, nihil interim occurrit, quod videatur istinc esse repetendum, nisi tamen ut formam secundum rationem loci scribas.*

id. Panegyr. 7, 7: *Fecit hoc Nerva, nihil interesse arbitratus, genueris an elegeris, si perinde sine iudicio adoptentur liberi, ac nascuntur: nisi tamen quod aequiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit quam quem male elegit.* Ubi Schwarzius ultimarum duarum sedes particularum commutandas censuit. Qui quidem earum ordo his locis est:

id. VI. 21, 6: *Circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poetis mentiri licet* (al. l. *nisi tamen quod).* id. VIII. 17, 6: *Nam parvulum differt, patiaris adversa an exspectes: nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi.* id. Paneg. 91, 7: *Non ergo temporarium et subitum est, quod uterque collegae consulatu tanquam iterum suo gaudet, nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diversis obligantur, nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus.*

91. ϑϑ) Nisi prius, quae formula in Tursellino praetermissa est, et a Cicerone et a recentioris temporis scriptoribus usurpatur. Non tamen aut tam saepe quam si prius (cf. §. 56) aut, ab uno Orosii loco si discedimus, in transitione, ut illa, adhibetur. Sententiae primariae, quae hoc modo inveniuntur coercitae, maximam partem negantes sunt.

Cic. p. Quintio 5, 19: *assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset.* id. Philipp. VI. 5, 14: *Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset.* id. Orat. II. 7, 27: *Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro. — Quidnam? inquit Catulus — Ut hic sitis hodie.* Plin. ep. II. 5, 10: *Dices, te non posse satis diligenter id facere, nisi prius totam actionem cognoveris.* Augustin. de civ. dei II. 27: *qui non opponerentur defensores oppugnatoribus moenium, nisi prius fierent expugnatores morum bonorum.*

In transitione: Oros. 3, 23: *Sed nequaquam tantorum regum oc regnorum bella excidiaque explicabo, nisi prius ipsa cum regibus regna prodidero.*

Disiunctio formulae partium semel, quod sciam, facta est a Livio VI. 11, 4: *cum interim, si quis vere aestimare velit, a M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi a se prius Capitolium atque arx servata esset* (ubi tamen alia lectio: *nisi prius a se* invenitur).

Peculiariter inter se opposita inveniuntur non aliter — nisi prius Arnob. VII. p. 219 Lugd.: *eos* (h. e. deos vestros) *aliter negatis praestare, quae bona sunt —, nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine;* quo loco similibusque, si occurrant alicubi, quod tamen dubito, enunciato secundario exceptionem, quae vulgo soleat, contineri dicere non licet. Aliud est enim: *non praestant dii, quae bona sunt, nisi prius* —, ubi prior illa sententia generalis est et quae per se bene possit intelligi, ut verbis *nisi prius* — addatur exceptio, aliud illud: *non aliter praestant dii, quae bona sunt, nisi prius* —, ubi sententia haec secundaria pro necessario habenda est supplemento primariae, quae sine eo integra esse non videatur. cf. non aliter — ac si prius —.

Alia de causa peculiaris est locus Catonis R. R. 89 (90): *Eodem modo anserem alito, nisi prius dato bibere;* ubi nisi idem valet quod praeterquam quod (»nur muss er ihr vorher zu trinken geben«). Constructione quidem geminus eiusdem auctoris hic locus est 77 (78): *Spiram sic facito. Quantum voles pro ratione, ita uti placenta fit, eadem omnia facito, nisi alio modo fingito in solo tracta.*

ιι) Nisi tandem pauculis Apuleii locis coniuncta leguntur. Quod contra nisi de- 92.
nique particularum consociatione ne Cicero quidem abstinet, ita tamen ut a re nostra plane aliena sit. Non enim nisi in prioris illius anaphora invenitur, ut Philipp. XI. 4, 10: *nisi — nisi — nisi — nisi — nisi — nisi denique.* Dein nisi statim, nisi illico similiaque nulli videntur in usu fuisse, nisi quod nisi confestim uno Frontonis loco eoque mutilato occurrit.

Apul. Met. IV. p. 62: *arreptum me totum plagis obtundit adusque vitae ipsius periculum, nisi tandem sapienter alioquin ipse mihi tulissem auxilium.* ibd. IV. p. 75: *tanto tamen terrore — coetum illum turbaverat ut usque diluculum, imo et in multum diem nemo quisquam fuerit ausus quamvis iacentem bestiam vel digito attingere, nisi tandem pigre ac timide quidam lanius paulo fidentior, utero bestiae resecto, ursae magnificum despoliavit latronem.*

Fronto ad Caesarem I. 10 f.: *nisi confestim tuo amore corripitur.*

κκ) Nisi modo verba consociata comicorum sunt. Hand. IV. 254. Similiter a recen- 93.
tioribus quidem nisi tantum inveniuntur copulata, quod Schwarzium et Handium videtur fugisse. A Petronio etiam nihil aliud — nisi tantum ne inter se sunt opposita, quae tamen ita iudicanda esse apparet, ut sententia secundaria primariae supplementum quoddam necessarium, non exceptio contineri censenda sit (cf. §. 91 non aliter — nisi prius).

Plin. Paneg. 93, 3: *Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus, nisi tantum illam ut semper nos meminerimus consules fuisse et consules tuos?* ubi Schwarzii lectionem, quae est nisi tamen, Handius in Tursell. IV. 239 illi existimare videtur praeoptandam. Sed locum plane cum illo consentientem, id etiam, quod sententia secundaria minus est integra, Apuleius praebet Met. IV. p. 62: *ac ne convallem quidem usquam nisi tantum ripae fluvialis marginem densis arboribus septam video.*

cf. Petron. Arb. 101 p. 340: *nec quidquam aliud in hac epulatione captabant nisi tantum ne esurirent.*

De Orosii loco VII. 4 init. nisi quod tantum vide infra §. 97.

λλ) Sententia primaria si negativa est, ita praesertim formata, ut illic una ex formulis, 94.
quae sunt non contentus, non sufficit, non satis est, parum est, locum habeat, secundaria, quae contineat exceptionem, addi solet a verbis nisi etiam incipiens. Quarum comprehensionum non omnium quidem, sed tamen plurimarum ea ratio est, ut in iis indignatio exprobratioque insint in eius consilium intentae, cui quid parum aut sit aut esse videatur. A Plinio iuniore nisi ut simul iunguntur; Lactantii sunt nisi — et, disiuncta quidem, itemque nisi idem, ad sententiae primariae nomen aliquod relata.

Val. Max. III. 4, 4: *Miro gradu Varro quoque ad consulatum macellaria patris taberna conscendit. Et quidem fortuna parum duxit sordidissimae mercis capturis alito duodecim fasces largiri, nisi etiam L. Aemilium Paulum dedisset collegam.* Lactant. I. 10, 12: *Illud*

vero summae impietatis ac sceleris, quod regium puerum (Iupiter) *rapuit ad stuprum. Parum enim videbatur, si in expugnanda feminarum pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret.* Oros. 3, 5 f. — Saepissime ita inter se respondent Parumne —, nisi etiam —? vel: Parum habes —, nisi etiam —? ut Cic. Verr. V. 60, 157: *Parumne multa mercatoribus sunt pericula subeunda fortunae, nisi etiam hae formidines ab nostris magistratibus impendebunt?* Val. Max. V. 1, 3: *Quid agis, inquit, demens, aut quo te prava cupiditas transversum rapit? Parum habes publica impietate furere, nisi etiam privata lapsus fueris?* Alia exempla vide in Tursellino IV. 400 allata.

Cic. Verr. II. I. 43, 111: *Solus enim tu inventus es, cui non satis fuerit corrigere voluntates vivorum, nisi etiam rescinderes mortuorum.* Lactant. VI. 23, 10: *quibus non sufficit sexus a deo datus, nisi etiam suum sexum profane ac petulanter illudant.* Iustin. I. 7, 15: *Hic uxorem praedicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret.*

Ex sententia primaria secundariae verbum, quod proprie dicitur, repetendum est. Cic. Fin. II. 15, 49: *Itaque idem* (Epicurus) *natura victus — dicit alio loco — non posse iucunde vivi, nisi etiam honeste* h. e. vivatur (a. l. *nisi honeste).*

Inversus sententiarum ordo invenitur ap. Cicer. ad Attic. IV. 1, 2: *Itaque hoc tibi vere affirmo, in maxima laetitia unum ad cumulandum gaudium — complexum mihi tuum defuisse, quem semel nactus nunquam dimisero ac, nisi etiam praetermissos fructus tuae suavitatis praeteriti temporis omnes exegero, profecto hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo.*

Disiunctas formulae partes non reperi nisi apud Sulpicium Severum Dialog. III. 10 p. 573: *parum scilicet, si invisibiliter coeli virtutibus uteretur, nisi ipsae virtutes visibiliter servire Martino humanis etiam oculis cernerentur.*

Ceterum plane aliam esse naturam loci Ciceroniani Tusc. I. 14, 31: *quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere?* nec eum ad rem nostram nisi specie quadam pertinere nemo est qui non videat.

Ex reliquis generibus, quae supra commemoravi, haec sunt exempla: Plin. ep. III. 12, 4: *neque enim ii sumus, quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi ut simul laudent.*

Lactant. Epitom. ad Pentad. 39, 12: *ut parum sit sceleris, quod homicidae in semet ipsos exstiterunt, nisi ad hoc nefas et alios erudirent.* id. III. 8, 31: *Nam scientia parum est ad bonum suscipiendum malumque fugiendum, nisi accedat et virtus.*

id. V. 14, 2: *doceamus non posse quemquam iustum esse —, nisi idem stultus esse videatur.*

b) Nisi cum sententia relativa vel alia aliqua a coniunctione incipiente copulatur.

95. *α*) Cum reliquorum auctorum omnium tum historicorum usu satis pervulgatum est genus sententiarum eam primariae exceptionem addentium, ut verbis nisi qui aut similibus inducantur. Quae, si grammaticam eorum rationem spectes, cum ad singulare aliquod nomen antecedens sint referenda, nihilo minus universae sententiae primariae inservire coercendae putanda sunt. Rarius hunc locum tenent nisi qua, nisi ubi, nisi quamdiu, nisi quatenus.

Liv. XXXVII. 56, 6: *Ea quoque his pars data Cariae, quae — trans Maeandrum amnem est, oppida, vici, castella, agri, qui ad Pisidiam vergunt, nisi quae eorum oppida in libertate fuissent pridie quam cum Antiocho rege in Asia pugnatum est* id. XXXIV. 6, 4: *ex his legibus — nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit aut status aliquis reipublicae inutilem fecit.* id. IX. 27, 14: *caedi capique Samnites, nisi qui Maleventum — per-*

fugerunt. Ammian. XV. 4, 12: *proterebant barbaram plebem, nisi quas fuga exemerat morti.* Lactant. VI. 21, 8. Deinde dissolutiore quodam sententiarum contextu id. III. 3, 3: *Mortalis natura non capit scientiam, nisi quae veniat extrinsecus* (h. e. nisi eam, quae). Ammian. XXVIII. 6, 13: *cunctisque, nisi quos fuga discriminibus eximeret, interemptis* (h. e. nisi iis, quos).

Ammian. XV. 12, 6: *Nam omnes Gallias, nisi qua paludibus inviae fuere, post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar.*

Liv. III. 26, 7: *neque honori magno locum neque virtuti putant esse, nisi ubi effuse affluant opes.* Lactant. de mort. persecut. 38, 3: *Sub hoc ministro pudicitiae integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat* (cf. infra §. 99).

Cic. ad Attic. XI. 10. 2: *Quid est, ubi acquiescam, nisi quamdiu tuas literas lego.*

Liv. XXXIV. 22, 12: *haec consultatio, ut videtis, tota de re pertinente ad vos est; Romanos nihil contingit, nisi quatenus liberatae Graeciae unius civitatis servitus non plenam — gloriam esse sinit.* Deinde sententia secundaria ad negantem relata primariam simulque aliter collocata: Liv. XXVIII. 39, 14: *simul gratulatum* (misit), *quod ita res in Hispania atque Italia gessistis ut Hispaniam — domitam armis habeatis, Italiae, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Poeno.*

β) Ad ea, quae in Tursellino IV. 239—241 de formula nisi si amplioribusque nisi si quis —, nisi si quando —, nisi si forte —, nisi si tamen — allata sunt, nihil habeo, quod addam. 96.

γ) Nisi quod (Tursell. IV. 235—237) ea est particularum consociatio, qua omnes omnium aetatum scriptores utantur. Nec in eo quidquam refert utrum ad affirmativam an negativam sententiam primariam pertineat. Rarior usus et ille est, quo exceptio, quae continetur sententia secundaria, cum ironia quadam coniuncta sit, et ille, quo singulare aliquid directe positum in sententia primaria, tollatur plane secundaria et esse aut esse posse negetur (cf. *si tamen* —, *si modo* §. 41 et 46), et vero ille, quo verbum cum formula illa iungendum elici necesse sit ex iis, quae antecedant. Atque hunc quidem usum ultimo loco commemoratum non video esse nisi Frontonis. Apud recentiores eiusmodi comprehensionum partes nonnusquam ita etiam inveniuntur conglutinatae ut sententiae secundariae ratio in exceptione ea, quae vulgo quidem existimatur, defixa esse dici vix possit. De formulis latioribus, quae sunt nisi quod tamen et nisi tamen quod iam supra (§. 90) disputatum est. Florus inter se respondere voluit haec: nisi quod hactenus — ut, Orosius verba nisi quod tantum, iurisconsulti nisi quod scilicet composuerunt. 97.

Iis quae ab Handio IV. l. c. dicta sunt de verbis nisi quia rarius quidem, sed eodem consilio comprehensis, quo comprehendi solent nisi quod, praeter exempla quaedam nihil habeo, quod adiiciam. Ab eodem iam allatus est locus Plautinus Trucul. IV. 3, 11, ubi in eodem enunciato nisi quia — tamen disiuncta quidem inveniuntur. Cui loco similis esse alius non videtur.

a) Nisi quod.

Exemplis Handianis facile permulta alia addi possunt. Ita affirmativam quidem sententiam primariam eiusmodi subsequitur secundaria: Cic. Fam. XIII. 1, 2. Tusc. III. 24, 58. Liv. IX. 41, 8. Tac. An. I, 33. Sueton. Vesp. 4. Amm. XVIII. 7, 9. XXII. 15, 2. XXIV. 2, 12. XXXI. 5, 17. Plin. ep. II. 1, 4. III. 7, 2. Senec. de benef. I. 10, 4. controv. 1 p. 74 Bipont. Apul. Met. X. 197. 218. 219. Solin. 5, 13. 37, 7. Gaii Inst. I. 67. Nazarii Panegyr. 4. Lactant. V. 17, 9. Oros. IV. 1. V. 15. Sulpic. Sever. hist. I. p. 177. II. p. 384.

Deinde negativam: Cic. Acad. II. 3, 8. Philipp. II. 22, 53. Liv. XXXVI. 8, 1. Tac. An. I. 8 et 16. XVI. 7. Ammian. XXV. 9, 13. XVI. 3, 1. Eutrop. X. 10 (6). Quintil. IV. 2, 74. Senec. controv. I. p. 74. Fronto Laud. fumi et pulver. p. 362. Q. Mamertini Genethliac. 15. Lactant. III. 12, 6. Plaut. Capt. III. 4, 88.

Negatio illa interrogatione inclusa est: Lactant. VI. 9, 3: *Cur enim per omnes populos diversa et varia iura sunt condita, nisi quod unaquaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile?* id. VI. 18, 18: *Unde certamina inter homines — nascuntur, nisi quod improbitati opposita impatientia magnas saepe concitat tempestates?* Addo eiusdem auctoris locum eo memorabilem, quod ibi exceptionis formula iterata invenitur. VI. 18, 23: *In quo igitur sapiens ac bonus vir a malis et insipientibus differt, nisi quod habet invictam patientiam, qua stulti carent? nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi refrenare non possunt?*

Ironia agnoscitur: Plaut. Menaechm. Prolog. 54 Ritsch.: *Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit, nisi quod, qui dederit, magis maiores egerit.* Apul. de Magia p. 296: *Atqui si contendere vis furorem tuum cum Thalli furore, invenies non permultum interesse, nisi quod Thallus sibi, tu etiam aliis furis* (Thallus corpore est epileptico eoque interdum furit, sed suo incommodo; Aemilianus quod ad inviose criminandum inclinat, furit et ipse, sed incommodo aliorum).

Apul. Met. V. p. 97: *At Psyche relicta sola, nisi quod infestis Furiis agitata sola non est* (cf. relicta sola, si tamen — sola est).

Fronto ep. ad amicos I. 7: *prorsus ut nullus miles Plautinus de suis, quam hic de tuis virtutibus gloriatur, praedicaret: nisi quod Plautus de suo milite cum lepore, hic de te cum amore et cum summa fide* (h. e. gloriatur vel praedicat). id. ad Aurel. Caes. I. 10.

Liberioris illius recentiorum usus, quem dixi, haec exempla sunt: Apul. Met. VII. p. 129: *simul primum sonum ianuae matrona percepit, clamoribus cuncta miscuit, milites suosque famulos — sed et omnem viciniam suppeditatum convocans, nisi quod pavore cunctorum, cum sibi quisque metuentes delitescebant, effectum est ut impune discederemus* (nur dass die Sache für uns ganz resultatlos blieb). Ubi ut appareat exceptionis aliqua ratio, ita haec videntur intelligenda, quasi legatur: *suppeditatum convocans, non convocans tamen* (vel: *non suppeditatum tamen), si reputo quod effectum est ut — discederemus.* Lactant. VII. 25, 6: *Etiam res ipsa declarat, lapsum ruinamque rerum brevi fore, nisi quod incolumi urbe Roma nihil istiusmodi videtur esse metuendum* (nur dass allerdings —). Magis offendit hic locus: Lactant. III. 11, 15: *nec frusta his praesentibus bonis reluctatur virtus, nisi quod maiora et veriora desiderat;* quae verba quomodo possint explicari non video, nisi intra duas sententias animo rursus repetendam esse, omissa quidem voce frustra, primariam censeamus (cf. nec frustra his praesentibus bonis reluctatur virtus; non reluctatur enim his praesentibus bonis, nisi quod maiora et veriora desiderat). [15])

Flor. II. 6, 34: *Longe illi* (urbi Syracusanae) *triplex murus totidemque arces, portus ille marmoreus et fons celebratus Arethusae, nisi quod hactenus profuere ut pulchritudini victae urbis parceretur* (nichts half die Festigkeit und Schönheit der Stadt Syrakus, sie wurde doch eingenommen, nur dass —).

Oros. VII. 4 init.: *Hic* (Tiberius Caesar) *per semet ipsum nulla bella gessit, sed ne per legatos quidem aliqua gravia, nisi quod tantum aliquantis in locis praecogniti cito gentium tumores comprimebantur* (cf. supra §. 93 *nisi tantum).*

---

[15]) Sunt etiam recentiorum loci, ubi formula illa non exceptionem, qua actio primaria aut tollatur aut coerceatur, sed ad eam rei alicuius accessionem significet. Sensus est: ut omittam illud, vel: quo accedit illud quod (abgesehen davon dass —). Lactant. III. 19, 11: *Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetunt tanquam bonum aut vitam fugiunt tanquam malum? nisi quod sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis pluribus.* Solin. 2, 53: *qui amnis per Helvetios ruit, auctu magno ipse, quod invadit, freto turbulentior, nisi quod fretum ventis excitatur, Rhodanus saevit et cum serenum est* (cfr. §. 73 not. 13).

Gaii Instit. 1, 68: *idem iuris est aliquatenus, si ei, qui dediticiorum numero est, tanquam civi Romano aut Latino e lege Aelia Sentia nupta sit, nisi quod scilicet qui dediticiorum numero est, in sua conditione permanet et ideo filius quamvis fiat civis Romanus, in potestatem patris non redigitur.* Cod. Iustin. I. 5, 3: *a primis urbis Romae cunabulis una atque simplex libertas competebat, id est, eadem, quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus sit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit* (cf. supra §. 88 *nisi scilicet).*

b) Nisi quia.

Quod paucula modo huius formulae exempla ab Handio allata sunt, in quo tamen numero est etiam Sallustii illud Orat. Licin. 6, alia addam deterioris quidem notae scriptorum. Plaut. Trinum. IV. 2, 91: *Sed ego sum insipientior, qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quae ego sciam atque hic nesciat, nisi quia lubet experiri, quo evasurus est denique.* id. IV. 3, 83 Ritsch.: *Haecine illa est furtiva virgo? — Iuxta tecum aeque scio, nisi quia adspicio* h. e. non novi virginem (aeque et tu ignoras), nisi quia adspicio. Terent. Eunuch. IV. 5, 10: *at nescibam id dicere illam, nisi quia correxit miles, quod intellexi minus.* cf. Adelph. IV. 1, 7.

Interpositam habet exceptionem Plautus Cistell. II. 1, 19: *nec, nisi quia miser non eo pessum, ulla abest mihi perdito pernicies.*

Saepe additur illa sententiae primariae interrogationis forma indutae, ut Senec. exc. controv. 4 p. 378: *Quare tam multos nominat, nisi quia aliquos putat esse, qui non possint?* Oros. 6, 15 med.: *Quare contempta* (Pythici oraculi fides), *nisi quia vel falsa vel vana vel dubia?* Lactant. V. 12, 13: *Cur enim — nisi quia —?* Ambros. contra Symmach. ep. 2: *Et unde Graecis oracula habita suae quercus, nisi quia remedium sylvestris alimoniae, caelestis religionis donum putarunt?*

δ) Nisi ut formulam (Tursell. IV. 237. 247) et Cicero et reliqui scriptores omnes in 98.
deliciis habent, ita tamen, primum ut ea non utantur nisi antecedente sententia, quo exceptio pertineat, negativa (non igitur dixit quisquam e. g. *beatus mihi videor, nisi ut otio egeam*, sed: *nisi quod — egeo*), deinde ut discrimen quoddam, quod inter melioris deteriorisque notae scriptorum consuetudinem intercedat, agnoscendum sit. Coniunctio enim, quae est ut, cum aut finem designet aut consecutionem, haec altera formulae ratio, qua idem valeat quod nisi ita ut, fere non est nisi recentiorum. In quo quidem coniunctio quoniam locis nonnullis facile supervacanea haberi potest, fit ut ab editoribus etiam omittatur (Turs. IV. 237). Alterum illud genus cum cuivis prope scriptori tum Ciceroni usitatum est. Solent autem apud eum tales praecipue comprehensiones inveniri, in quibus nihil facio, nihil laboro, nihil commoneo similiave — et nisi ut inter se opponantur, ut secundaria sententia primariae obiecti instar habenda sit.

Ampliores duae formulae, altera Ciceroniana, nisi forte ut —, altera Pliniana, nisi ut simul —, iam aliis locis (§§. 84 et 94) commemoratae sunt. Restat ut moneam, negativas illas, quae sunt nisi ut ne et nisi ne (Turs. IV. 248) et raro occurrere nec nisi post primariam sententiam item negativam, quemadmodum vidimus in affirmativo genere.

a) Nisi ut.

Locis ab Handio allatis facile multi alii addi possunt, velut, in quibus obiecti illam rationem, quam dixi, videas: Cic. p. Milon. 36, 100: *quid habeo, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecunque erit tua, ducam meam?* id. Tusc. III. 20, 46: *Quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quaestione explicetur?* Auct. ad Herenn. III. 11, 20: *de magnitudine vocis — nihil nos attinet commonere, nisi ut ab iis, qui non inscii sunt eius artificii, ratio curandae vocis petatur?* Terent. Phorm. II. 2, 8: *quid vis, nisi uti maneat Phanium?* Lactant. V. 19, 31 ubi sexies deinceps haec eadem orationis forma adhibetur.

Peculiare quid habet locus Livianus XXVI. 30, 8: *quid ultra quam quod fecerit, nisi ut deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse?* cuius loci difficultas ellipsis cuiusdam auxilio expedienda est. cf. *Quid ultra quam quod fecerit, quid, nisi ut deleret —?* Similem ellipsim vidimus supra (§. 97, a).

Eiusmodi exempla, quale est Plin. ep. II. 20, 3: *componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat, nihil nisi ut diu miseram exspectatione suspendat*, ita videntur intelligenda esse, quasi intra voces duas negantes participium verbi spectandi aut simile omissum sit (cf. nihil spectans nisi ut —, zu keinem andern Zwecke als).

Sed quoniam id genus locorum, in quo ut coniunctione finem sive consilium monstrari diximus, duplex est, talia etiam quaedam exempla Handianis addamus, in quibus sententia secundaria obiecti cuiusdam munere fungi primariae dici non possit. Fronto de Feriis Alsiens. 3: *Nam qua te dicam gratia Alsium maritimum et voluptarium locum delegisse, nisi ut bene haberes genio —?* Lactant. VI. 11, 5: *Cur ergo idoneis potius largiris, nisi ut postea mercedem recipias?* ibd. 22, 2: *Cur ergo illa facta sunt, nisi ut iis fruamur?* Sulpic. Sever. epist. I. p. 498: *Neque enim istiusmodi exemplum protulisset, nisi ut ex his humana mens erudiretur.*

Cic. Tusc. II. 23, 56: *nec vero unquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem.*

Consecutionis ratio inest in coniunctione: Senec. de benef. II. 11, 2: *non est instandum, non est memoria* (beneficii) *revocanda, nisi ut aliud dando prioris admoneas* (h. e. nisi ita ut — admoneas). Quintil. V. 10, 57: *nunquam igitur tolletur a specie genus, nisi ut omnes species, quae sunt generi subiectae, removeantur.* (Spald. *nisi omnes*, cf. Hand. IV. 237.) Lactant. IV. 23, 7: *quomodo adimet excusationem contumacibus, nisi ut praesentibus factis doceat, possibilia se docere?* ibd. 24, 8: *Quomodo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut, qui docet, faciat, quae docet —?*

Plin. ep. III. 12, 4: *Neque enim ii sumus, quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi ut simul laudent.*

Ultimo loco addimus, tales comprehensiones, quales sint: Cic. Verr. V. 45, 118: *nihil aliud orare nisi ut* — id. Fam. II. 16, 3: *nihil aliud quaerere nisi ut* — id. p. Cluent. 7, 20: *nullam aliam causam esse nisi ut* — similesque non iam huc referri licere, quippe in quibus sententia secundaria primariae supplementum habendum sit potius quam ei adiicere exceptionem dici possit. (§. 91.)

b) Nisi ne — Nisi ut ne —.

Exemplis in Tursellino l. c. allatis haec addimus: Cic. Philipp. II. 21, 52: *quid autem agebatur, nisi ne deleri et everti rempublicam velles?*

cf. Petron. Arb. 101 p. 304: *nec quidquam aliud —, nisi tantum ne —* (§. 93).

Locus Plautinus Cistell. I. 1, 41: *Neque hanc superbiai causa ego repuli ad meretricium quaestum, nisi ut ne esurirem* — similiter interpretandus est et Livianus ille XXVI. 30, 8: *(quid ultra — nisi ut)*, de quo supra vidimus. Sensus enim hic est: neque hanc superbiai causa ego repuli ad mer. qu., non repuli nisi ut ne esurirem.

99. ε) Ad demonstrandum, verba nisi cum copulari solere, duo ab Handio IV. 237 exempla video allata esse. Quod nescio num factum sit eo quod plura ad manum non habuerit an quod usum hunc numeraverit quotidianum. Utcunque id est, afferam ea, quae praesto sunt. Omnia autem, nisi quod alia affirmativam exhibent sententiam primariam, alia negativam, ex uno et eodem sunt genere. Non est enim coniunctio in iis nisi temporalis. Orosii quidem formulam, quae est nisi forte cum, iam supra (§. 84) attigimus. Ceterum etiam alias coniunctiones, quarum temporalis sit notio, nisi particula in suam necessitudinem recipit, sed rarissime. Ita formulae exstiterunt: nisi dum —, nisi ubi —, nisi postquam —, quarum

ultima in Tursellino praetermissa est. Exempla quae habeo ut pauca sunt, ita eiusmodi omnia, ut exceptio negativae sententiae addita inveniatur.

a) nisi cum —.

Cic. Tusc. I. 36, 88: *Inest enim velle in carendo, nisi cum sic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi.* Sallust. Iug. 44, 4: *plerumque milites stativis castris habebat, nisi cum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat.* Fronto fragm. II. p. 317. Sulpic. Sever. de vita Martini 7 p. 474: *Rarus cuiquam extra cellulam fuit egressus, nisi cum ad locum orationis conveniebant.* — Plaut. Fragm. Boeotiae 4: *nam me puero uterus hic erat solarium, ubi istic monebat esse* (h. e. edere), *nisi cum nihil erat.* Hor. Epist. I. 1, 108: *praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.*

Interposita exceptio est orationi: Cic. Philipp. XI. 7, 16: *duae dictae sunt sententiae, quarum neutram probo, alteram, quia semper, nisi cum est necesse, periculosam arbitror, alteram, quia alienam his temporibus existimo.*

Negans sententia antecedit primaria: Cic. ad Attic. IV. 2, 3: *ego statueram illuc non accedere, nisi cum consules ex senatus consulto porticum Catuli restituendam locassent.* Liv. III. 14, 5: *nunquam ulli neque publice neque privatim truces esse, nisi cum de lege agi coeptum esset.* Quintil. I. 1, 31: *et in lectione quoque* (fuerit utilius) *non properare ad continuandam eam vel accelerandam, nisi cum inoffensa literarum inter se coniunctio suppeditare — poterit.* Senec. controv. I. prooem. p. 68: *Non placebat illi orationem inflectere nec unquam recta via discedere, nisi cum hoc aut necessitas coegisset aut magna suasisset utilitas.* ibd. III. p. 245. V. p. 322. Lactant. VII. 5, 27. Oros. 7, 1. Ammian. XX. 3, 2: *quod alias non evenit ita perspicue, nisi cum post inaequales cursus iter menstruum lunae ad idem revocatur initium.*

Oros. 4, 1: *scriptorum veterum mos est, ex ea parte, quae vicerit, occisorum non commemorare numerum, nisi forte cum adeo pauci cadunt, ut admirationem terroremque virtutis augeat paucitas perditorum.*

b) nisi dum (als während). Handii IV. 249 exemplo Senec. Herc. fur. 212 addimus Cic. Divin. II. 36, 76: *nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur?* ubi ordo inversus est. Ad alteram dum particulae notionem referendum videtur hoc: Senec. controv. III. 21 p. 246 Bipont.: *in contubernium deducta servi domina est: ita iste dexteram sororis meae, nisi dum manumittitur, non contigit* (als bis). Plane alia est ratio loci Terentiani Adelph. V. 2, 9: *Quid ego agam? nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum aliquo abeam.*

c) nisi ubi. Nullum exemplum habeo, nisi quod ab Handio IV. 249 iam commemoratum video Terent. Heaut. I. 1, 97. Comparari tamen licet illa, quae attuli §. 95.

d) nisi postquam.

Cic. ep. ad Brut. I. 16 p. 674 Orell.: *neque incolumis fui Caesare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus.* Oros. 2, 13: *Nec tueri libertatem armis destitit, nisi postquam se coniuratorum conspiratio ipsis quoque honoribus abdicavit.* id. 3, 15: *nec caedi pariter vel caedere destiterunt, nisi postquam victis Samnitibus et capto duce eorum iugum reposuerunt.*

5. De particula ni fusius quam probabilius videtur Handius IV. 188 sq. disputasse. 100.
Nam ut valeret ratio, quam solam rectam habet, qua quidem ubique illam idem quod si non formulam valere arbitratur, cum nonnullis locis egisse censendus est libidinose. Quod tamen cum diligentius hic persequi non possim, satis sit recentiorum scriptorum, ad quos ille non descenderit, exempla attulisse nonnulla, quibus particulam illam ad locum hunc pertinere appareat.

Plin. H. N. 8, 16: *septentrio fert — alcen iuvenco similem, ni proceritas aurium et cervicis distinguat.* Ammian. XXVIII. 3, 3: *Evenerat — facinus dirum, erupturum in periculum*

grave, ***ni*** *inter ipsa conatus principia fuisset exstinctum.* id. XXVIII. 4, 3: *correxisset enim — irritamenta gulae et ganeas taetras,* ***ni*** *flexus in molliora emisisset gloriam diu victuram.* id. XXIX. 1, 17: *alter a Saturnino — confoderetur,* ***ni*** *tulisset suppetias filius adolescens.* Apul. Metam. IX. p. 182: *iugulare moriturum gestiebat,* ***ni*** *— vix eum ab impetu furioso cohibuissem.*

Formulae denique, quae est n i s i p r i u s, Ciceroni etiam usitatae (cf. §. 91) memoria repetitur hoc loco Symmachi X. 70: *Provisum est, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret,* ***ni*** *se idem* ***prius*** *poenae sponsione vinciret.*

